













148 p.p.
74 leaves

3

Lier
20 sts fr.
7/may/28

By Carolus Stephanus



DE LATINIS ET GRAECIS NOminibus arborum, fruticum, herbarum, pisciũ, & auium Liber,

EX ARISTOTELE, THEOphraſto, Dioſcoride, Galeno, Nicandro, Athenæo, Oppiano, Aeliano, Plinio, Hermolao Barbaro, & Ioanne Ruellio: cum Gallica eorum nominum appellatione.



LVGDVNI,
Apud Theobaldum Paganum.
M. D. LII.

THEOBALDVS Paganus Lectori S.


ILARI uultu accipe cãdide lector opuſculum hoc olim à Roberto Ste- phano Tipographo dili- gentißimo impreſſum. Quod ideo tibi enchiridij forma dandum curauimus, ut facilius tecum deferre poſſes, & ſic illi die noctéq; commodius operam da- res, quod quantùm in huiuſcemo- di rerum cognitione proficiat tu ipſe iudicabis & nos in- terim qui in tuam gra- tiam ſemper aliquid cudimus amabis, benéq; ua- lebis.

DE ARBORVM, FRVTICVM, Herbarumq; Nominibus, tam Latinis, quàm Græcis, ex varijs, & receptis autoribus, cum Gallica eorum appellatione.



Bies, ἐλάτη, Sapin.

Abrotonum mas, sarmentosum gracilibus ramis, ut Absinthium, Auronne.

Abrotonum fœmina, in arbusculam fruticans, & candicans. Petit Cyprez. *Scholiastes Nicandri in Theriacis abrotonum dictũ scribit* διὰ τὸ ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι πρὸς ὄψιν. *id est, quòd sit delicatum aspectu, & tenerum.*

Absinthium nostrum uulgare, quod

 Aluine

Aluine gallicè appellamus ab aloës amarore, nõ uidetur à ueteribus inter absinthia comprehensum: nisi id esse uelis quod Dioscorides βαρύπικρον uocatum fuisse scribit.

Absinthium marinũ siue Seriphium, cuius semen. Barbotine, Mort aux vers, gallicè uocatur.

Absinthium Santonicum, in Aquitania Santenique dicitur.

Absinthium Ponticum in officinis pharmacopolarum, Absinthium Romanum dicitur. Autor Etymologici scribit à comicis absinthium ἀπίνθιον dictum, id est quòd nemo bibere posset: uel dictũ est ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι per antiphrasin, quòd nemo id attingat.

Acacia, quãdoquidem uera deest, nunc apud nos succus pruni syluestris dici potest. Le ius des petiz pruneaulx cuiz, qui croissent es hayes & buissons, mesmement quãd ilz en sont

du

du tout meurs.

Acylon fructus arboris phellodryos, id est ilicis quæ proprie Suber dicitur. Le fruict de l'arbre qui porte le liege.

Acynos, herba usqueadeò similis Ocimo, ut à multis putetur esse Ocimastrũ. Herbe tant semblable au Basilic, qu'aucũs disent que c'est basilic sauuage. *In quibusdam locis Galliæ appellatur Minutum ocimũ,* Basilic menu.

Aconitum lycoctonum, Id est Occidẽs lupos, Luparia. L'herbe au loup. *Aliud est Pardalianches, quòd eo pardi necentur. Officinæ quædam Vuam inuersam uocant. Interpres Nicandri Aconitum nomen habere ab Aconis Periandynorum pago, qui ad Heracleam Põti est, ubi Hercules ab inferis Cerberũ abduxit, ex cuius spuma Aconitum natũ est, scribit. Alij* ἀπὸ τῶν ἀκονῶν, *id est à cautibus, in quibus nascitur, quod sensit Ouidius. Visa est hîc herba cui rectè omnia à*

Dioſcoride de Aconito ſcripta conue-niunt, niſi quòd nondum experimento probatum ea lupos aut canes interimi.

Acorus uel Acorum, Flambe baſtarde ou Glayeul de riuiere & de marez, ſelon la commune opinion des apotiquaires, mais ceſt le *Galanga maior* des apotiquaires. Parquoy fault prendre garde. *Quoniam periculoſum eſt pro Acoro capere Iridem illam paluſtrem*, ceſte Flambe de riuiere: *propterea quòd earum herbarum qualitates longe diuerſæ ſunt.*

Acte, latinè Sambucus, Suzeau, Seu.

Adiantū, uulgò Capillus Veneris. Interpres Nicandri ſcribit dictum eſſe παρὰ τὸ μὴ διαίνεσθαι, καὶ βρέχεσθαι ὑπὸ ὑετοῦ καὶ δρόσου τοῖς φύλλοις γὰρ αὐτοῦ ῥανὶς οὐκ ἐφιστάνει, *Id eſt ſic dicitur, eò quòd non humectetur, aut irrigetur à pluuia & rore: folijs enim eius aſpergo non inſidet. Eius autem ſpecies exponentur ſuo ordine.*

Adrachne, Latinè Portulaca, Pourpier. Serenus uocat Pulli pedē, quasi dicas Poulle pied: quòd ea herba, præsertim quæ in utibus nascitur, pulli pedem figura referat.

Aegilops, Auoine sterile, laquelle en aucuns pays est appellée Auoine folle. Sic dictam credunt, quòd oculorum fistulis (quas αἰγίλωπας Græci uocant) medeatur.

Aegirus, Populus nigra, Peuplier noir: que aucuns nomment de l'auron: arbor etiam quā uulgò Le tremble appellamus, est species Populi præsertim nigræ αἰγείρου ἄνθη, id est flores seu σφαίρια, id est pilulæ primo partu foliorum enascentes. Oculi populi in officinis dicuntur, à quibus unguentum populeum suam denominationem sumit.

Aera, Latinè Loliū, ab alijs Yuraye: qui caput tentat ac ebrietatē inducit: ab alijs Nielle, sed malè dicitur. Ouidius in

Fastis dicit oculos uitiari lolio.

Agallochum, Eſt ce que les apotiquaires auecques Aëtius,& Actuarius,appellent *Ligum aloës*, duquel on faitdes perfuns merueilleuſemēt odorans. Aucuns des Cheualiers de Rhodes ont des patenoſtres de ce bois,& les Dames en Italie communemēt en ont,comme choſe bien riche. *Quod nunc oſtenditur in officinis, eſt uerius Aſpalathum acre & auſterū.*

Agaricum, eſt fungus innaſcens arboribus glandiferis, ilicibus, abietibus, & laricibus, uulgò Agaric. *Quod olim mittebat Agaria Sarmatiæ regio, unde nomen habet, nunc ſuppeditant Alpes.*

Agaſillis, L'arbrinceau qui porte la gomme,que les Apotiquaires appellent *Ammoniacum.*

Agroſtis, Latinè Gramē. Vulgò Dēs *canis dicitur, quòd genicula & internodia huius herbæ, canis dentes figura & albore*

albore referant. Multiplex autem est. Aliud panici more paniculas habet, aliud arundini proximum est, aliud humi serpit, diciturq; à quibusdã Vigoron, quòd uigeat & in agris immortale sit. Ἀγρῶστις uerò dicitur παρὰ τὸ ἱστάναι περὶ τὸν ἀγρόν, quòd in agro consistat. Aeizoon maius, Lat, Semperuiuum, Sedum maius, Vulgò Loubarbe, quasi Iouis barba.

Aeizoon minus. Vulgò Vermicularis.

Aeizoon hortense. Vulgò, Trique madame.

Alcea, Guimauue sauuage: Vngarica herba ab Italis dicitur. Alcea autem παρὰ τὴν ἀλκὴν, id est à robore dicitur, quòd fortiter dysenterijs & ruptis medeatur.

Alypum, exponitur ab Actuario medico Turbith album. Nominis autem ratio significat ᾧ μὴ πρόσεστι λύπη, id est, quod mœstitia uacat.

Alysson quibusdam putatur Chanu-

re ſauuage: alij Rubia minor. Sic autem dicitur (ut ait Galenus) quòd mirificè morſos à cane rabido curet, λύσσα enim rabiem ſignificat.

Alliũ, Aulx. Eſt & herba, quæ quia olet allium, Alliaris, uel Alliaria dicitur.

Allium Vlpicũ Collumellæ, quaſi dicas Punicũ. Dicitur Græcis ἀφροσκόροδον, quòd ei trito multa ſpuma increſcat.

Alnus, Gallicè Aulne.

Aloë, quia uiriditate pſittacum refert, uulgò Perroquet dicitur.

Alopecûrus, Latinè Cauda uulpina, herba ſimilis omnino tritico, niſi quòd hirſutior ſit, & folium ei latius ſit, ut caudam uulpinam referat.

Alſine, Gallicè, Mourron, quod uocabulũ factũ eſt à muris aure. Itali uocãt Pauerinã, quaſi dicas gratam & iucundam pullis anſerũ. Sic autem dictã, quòd τὰ ἄλση, id eſt loca umbroſa & opaca amet. Gaza uertit auriculam muris.

Althæa,

Althæa, Guimauue, quasi dicas Mal uauiscum: propterea quòd eius radice paretur uiscum. Vergilius hanc herbam Ibiscum uocat, Dicitur ἀπὸ τοῦ ἀλθεῖν, id est à medendo.

Alumen, Alun: στυπτηρία ἀπὸ τοῦ στύφειν, id est ab astringendo Græcis dicitur.

Amarantus, præsertim purpureus, Passe velours, à priuatiua particula & à uerbo μαραίνεσθαι, quasi non marcescens.

Amarãtus luteus, Vulgò Stœchas citrina. Ea autem planta frequens est apud Santonas, & in Gallia Narbonẽsi. Quidam amarentum eundem cum Heliocryso, alij cum Chrysocome faciunt.

Amaracus, Dioscoridi est nostra maiorana, Græci σάμψυχον uocant.

Ambrosia, Vulgò Ruta uinacea, & Herba uini dicitur: nam odore uinum imitatur.

Ambubeia, ea est Cichorij syluestris species

ſpecies, quam Græci à multo amarore πικρίδα dicũt: alij uolunt eã eſſe ſpeciem, quæ uulgò Dẽs leonis, & Piſſe en lict dicitur.

Ammiea eſt plãta, quæ à uulgò pharmacopolarum Ameos appellatur.

Amygdalus, Amandier.

Amylum, Amydon, ſic dictũ, quòd ſine mola fiat, nam factitium eſt, & ex medulla tritici præſertim trimeſtris præparatur.

Amomum, alijs dicitur herba Hieroſolimitana: alijs herba quæ fert roſam Hiericuntis. Amomi uua ſæpe Galeno, & Actuario ob id dicitur, quòd racematim uelut in uua cohæreat.

Ἄμπελος λευκὴ, id eſt, Vitis alba: Brionia, Couleuree: alijs Feu ardent dicitur, à ui baccarum rubentium eius urente. Dicitur & Pſilothrum, quòd ex eius acinis coria depilentur.

Ἄμπελος μέλαινα Vitis nigra, Viburnum,

num, Viourne, Especce de couleu-ree, qui a les racines & fruict noir: *neq; alia re differt à Vite alba, nisi quòd hæc sit radice alba & fructu rubente, illa radice & fructu nigris sit.*

Ampeloprason, Porrum uineale, uulgò Cepa canina.

Anagallis fœmina, flore cæruleo est, mas uero puniceo. Vtraque planta dicitur Petit mourron, & mourrõ quarré. *Quidam hanc herbam per Corchorum à Nicandro in Theriacis significatam existimant.*

Anagyris, Bois puant: *alij putant esse arborem Anonymon dictam, Gallicè* Le bois dequoy on fait les lardoires, qu'on appelle cõmunement Fuzain. *Anagyris nomen habet ab excitando, quòd ea excitata teterrimũ odorem emittat. Androsæmum species Hyperici:* Espece d'vne herbe nommée Millepertuis. *Vox autẽ significat αὐ-*

ϑρὸς αἷμα, id eſt hominis ſanguinem: nam hæc planta, coma aut floribus eius tritis, hominis ſanguinem refert.

Anchuſa, Orchanette uulgò dicitur, huius radice mulieres faciem inficiunt cũ aqua & ceruſſa. Thomas Magiſter contendit dicendum eſſe more Attico ἔγχουσα, unde uerbum ἐγχουσίζειν, id eſt fucare, ἔγχουσαν autem deducunt παρὰ τὸ ἐν τῇ ῥίζῃ ἐρυθρόν.

Anemone, uulgò Herba uenti: quidã uocant des Coquelourdes. Flores duorum poſteriorum generum Anemones Dioſcoridis, dicuntur à quibuſdam Paſſe fleurs, & Rubis. Plinius Anemonem dictam putat ex eo quòd flos nũquam ſe aperiat, niſi flante uento. Gaza uertit Fremium.

Anethum, Anet.

Aniſum, Anis. Nicander in Theriacis ἄνησον ſcribit per η, niſi mendum ſit: cuius radices uenenatis reſiſtere ſcribit.

appellatur

appellatur & Fœniculum Romanum.

Anonis uel Ononis, uulgò Resta bouis, & Remora aratri, quòd si in eam incidat arator, boues remoretur. Quidam deducunt ἀπὸ τ͂ ὄνου & ὄνημι, quasi dicas Asini oblectationem: in quibusdam officinis dicitur Acutella, & in alijs locis Galliæ, Bugraues.

Anthemis, χαμαίμηλον, id est Terrenũ & humile malum, ob id quòd malum resipiat. Camomille.

Aparine, uulgò Rebulus, uel Rubia minor: Rieble, & Gratteron dicitur, & φιλάνθρωπος quòd hominũ uestibus tenacißime hæreat: Itali uocãt Grapellam.

Antirrhinon, alij Oculum cati appellant, alij Mourrõ violet. Nomen ex eo habet quòd eius fructus截uituli rictum referat.

Aphaca, uel Aphace, est Vicia syluestris, Vesse sauuage. Si Græcum etymõ respicias, ἀ poterit esse priuatiuum, &

φάκη

φάκη lens, quasi non sit lēs. Vel potius ἀ, in ea dictione similitudinem & coniunctionem quandam significat, ut in uoce ἄλοχος, ὡς ἅμα ἀνδρὶ τῷ αὐτῷ λέχει χρωμένη, id est eodem cum uiro lecto utens.

Aphaca ergo ex eo dicitur, quòd sit lenti similis.

Apium, Græcè Selinon, Du persil. Hoc ἰνόδμον Theocritus appellat, quòd multam gratiam in iuribus habeat.

Apium palustre, Græcè ἑλειοσέλινον, quasi dicas Paludapiū: uulgò dicitur de la Berle. Alij uolūt esse de L'ache, alij uero id putant esse quod uulgò Aigrun persil dicitur.

Apiū petrosum, Græcè πετροσέλινον: petendum est ex Macedonia, uel ex Epeiro.

Apium magnum, Græcè ἱπποσέλινον: Gaza ad uerbum Equapiū. Est id quod uulgò dicitur Petroselinum Macedonicum. Columella appella Olus atrū, quod

Ruellius

Ruellius putat id esse quod Galli uocant de Lache, Conradus Gesnerus putat Petroselinum id esse, quod in Alpibus Ostructium dicitur, quo nunc Alpini ad omne morborum genus ueluti panacea utuntur. Hieronymus Tragus uulgarem Pimpinellam nostram ueterum Petroselinum esse contendit.

Apocynon, dicitur & Cynocrăbe, id est braßica canina, Chouz sauuage. Ea plăta dicitur à quibusdam hippomanes, q; si equi ederint, in furorem (ut scribit Hesiodus) aguntur, ἀπόκυνον est etiā μάζα μεμαγμένη φαρμάκῳ πρὸς ἀναίρεσιν κυνῶν. Id est, Est panis ex ueneno aliquo pistus, ad interficiendos canes.

Apollinaris herba, Altercum Plinio, Græcè ὑοσκίαμος, ad uerbum faba suis, uulgò Hannebanne. Cæterū quod ad hominis Apollinaris rationem attinet, quidam hoc nomine ab Apolline insignitam tradum, quod doloribus mitigandis,

quasi Dei alicuius beneficio uim habeat. Hyosciamus autem dicitur (ut Helianus refert) quòd pastu eius cōuellantur sues, præsenti mortis periculo, nisi copiosa aqua statim se foris & intus proluerint. Dicitur & à quibusdam διοσκύαμος, id est Iouis faba.

Aracus, Vesseron. Arbutus, Græcè κόμαρος, Arbre portant fruict, que les tanneurs de cuir en Italie appellent Cerises de dela la mer.

Arction in officinis Bardana maior: uulgus Gallicum Glouteron appellat.

Argemone nō habet aliud nomen, nisi quod Hieronimus Tragus putat eam esse plātam, quæ uulgò dicitur Rosa frumēti: nomen autem habet ab ἄργεμα & ὄνημι, quod oculorum albugines & nubeculas abstergat, ῥυπτικὴ enim & διαφορητικὴ (id est absterſoria & discussoria) teste Galeno, est. Armoratia, ῥαφανὶς, id est Syluestris raphanus, Officinæ pharmacopolarum

larũ uocant Rapiſtrum, Arthritica, uulgò Primula ueris, Ruri appellatur Cuculi brachula. Ariſtolochia, uulgò dicitur de la Sarraſine. Dicta eſt autem Ariſtolochia, quòd ſit ἀρίστη τοῖς λοχευούσαις, id eſt ſalubris parturientibus. Gaza uertit Malum terræ: ſed eo nomine rotundam Ariſtolochiam tantum appellandam omnes conſentiunt.

Armeniaca mala, putantur omnibus noſtra Arbricota, noz arbricoz. Tamẽ Plinius & Columella, numerant inter pruna.

Arnogloſſum, Plantago, Plantain. Ad uerbum ſignificat linguam agninam, cui huius plantæ folia ſimilia ſunt.

Arnogloſſum minus, Plantago minor, quæ uidetur eſſe lanceolata.

Arum, uel Ariſarum, in officinis dicitur Iarum, Pes uituli, Serpentaria minor: uulgus, quòd hæc plãta piſtillum promit exerti genitalis effigie, nunc Sacerdotis,

nunc Canis uirile nominat.

Artemiſia, Armoiſe, Herbe de Sainct Iehan. Artemiſiam autem uocatã existimant ab Artemiſia Mauſoli regis uxore, quæ eam adoptando ſibi cognomẽ fecit. Alij à Diana, quæ ἄρτεμις dicitur, quod ea huius herbæ uires prima oſtenderit: & quemadmodum Dia illa inuocata, parturiẽtibus adeſſe ſolebat, ſic herba hæc Deæ huius beneficio, malis mulierum medetur, menſes, ſecundas fœtúſque trahendo, & matris concluſiones, & inflammationes ſanando.

Artemiſia, πλατύφυλλος, id eſt lata habens folia ſimpliciter dicitur Armoiſe.

Artemiſia, λεπτόφυλλος, id eſt tenuia habẽs folia, Matricaria uulgò, & Eſpargoutte.

Artemiſia, μονόκλονος, id eſt Vniramis: uulgò dicitur Athanaſia, alijs dicitur Tanacetũ: alijs uidetur eſſe herba ea, quæ florem Oculũ Indicum dictum, profert.

Arundo

Arundo, Roſeau.

Arundo gracilis, Columellæ tempori bus Canna dicebatur.

Arundo uernacula, quæ Græcis, dicitur δόναξ, & Plinio Cypria arundo, fert pappos in ſummitate non inutiles ad cul citra facienda.

Arundo facta & craßior Dioſcoridis, ex qua fiebant ſagittæ, non eſt apud nos, adhuc in Græcia eſt.

Arundo συριγγίας, id eſt Fiſtularia, ex qua fiunt calami ſcriptorij.

Arundo χαρακίας, id eſt, Vallaris, in ſepibus & uallis frequens: ab Italorum uulgo nunc Græcanica dicitur.

Arundo tibialis, ſiue muſica, ex qua tibicines conficiunt ligulas, Des anches.

Arũdines illæ crebræ in noſtris ſtagnis hoc ſolo differre uidentur, quod altera mas altera fœmina ſit. Aſarum, ſeu Bacchar, literis trãſpoſitis Gallicè Cabaret dicitur. Quidã Aſarũ dici putãt ab α &

uerbo σαίρειν, quòd non ueniat in coronamenta, Aſcyron, ſimile eſt Hyperico, id eſt plantæ, quæ Galicè dicitur Millepertuis, uulgò dicitur Fœnum durum. Græci uidetur huic herbæ à cõtrario nomen impoſuiſſe: σκῦρος enim illis ſignificat aſperitatem. Aſpalathus, eſt quòd uulgò dicitur Lignum Rhodium: quidã tamen putant eſſe Agallochum, id eſt Lignum aloës. Aſparagus, Eſparge.

Aſparagus ſyluestris, dicitur Corruda Latinè. Attici ſcribunt ἀσφάραγος.

Aſphodelus, Haſtula regia. In officinis corruptè Afrodilus dicitur. Planta eſt folio porraceo, radicibus magnarum glandium effigie multis ſimul agnatis, & porcorum cibus eſt. Quidam Latinè Albucum dici putãt, ſed Albucus eſt propriè mas, Haſtula regia uerò eſt fœmina. Aſplenium, Ceterach à pharmacopolis dicitur. Ea autem herba nomen inuenit ab imminuendo ſplene.

Aſter

Aster atticus, uel acticus potius, quasi dicas littoralis, non inuenitur nisi in littoribus. Astragalus, Rusticũ uel montanum cicer. Cerres sauuages. Sic dicta est ea herba, quòd radicem crassam & astragalo oßi similem habeat.

Atractylis mitior, est Cnicus syluestris. Saffran bastard sauuage. Latini fusum agrestem, aut colum rusticam uocant, quòd eius caule rigido ueteres mulieres pro colo uterentur: quod nominis Græci ratio indicat ἀτρακτυλὶς enim dicitur ἀπὸ τοῦ τὰς ἀγροίκων γυναῖκας ἀτράκτους ποιεῖν ἐξ αὐτῶν, id est ex eo, quòd rusticæ mulieres hinc fusos comparent. Atractylis hirsutior, Carduus benedictus quibusdam esse creditur.

Atriplex. ἀτράφαξις, Arroche, Bonnedame.

Auellana, nux quasi Abelina: ab Abella oppido unde primum allata est, Auellayne, Noisette. λεπτοκάρυον Galeno,

& Simoni Sethi.

Auena, βλόμος, Auoine.

Auricula muris, Myosotis, à quibusdã putatur esse eadem cum Alsine, quæ uulgò dicitur Coquille de prebstre, ou Mourron.

B

BAccharis, herba uulgò dicta Les ganz de nostre dame. Virgilius fascinũ hac herba depelli scribit. Galenus in exegesi uocum Hippocratis, dicit interdum accipi pro herba, interdum pro unguento Lydio. Balaustium, secundum Dioscoridem, & Galenum, est flos mali granati syluestris, uulgò Des balustres. Ballotte, Marrubium fœtidum, uel Marrubiastrum. Plinius scribit hanc herbam alio nomine à Græcis Melamprason. Officinæ uocant Marrubium nigrum.

Balsamũ, Baulme. Quod nunc ostẽditur à principibus pro Balsamo, est fa-

ctitium

ctitium. Balsamine, est arbuscula ferens poma mirabilia, Pomme de merueilles. Est autem ea frequens in hortis D. Germani ad urbem.

Batis, alia dicitur Cretha marina, alia est hortensiana, quæ Plinio dicitur Asparagus Gallicus. uulgus nostrũ nũc Bacile, quasi Baticulas appellare didicit.

Batrachium, Latinè Ranunculus, ab urendi facultate Flãmula dicitur Batrachij species ea, quæ folijs Apium refert, uulgò Apiũ syluestre, & Apiũ risus nominatur appellatur & Sardoa aut Sardinia herba. Strabo scribit Hispanos toxici genus ex hac herba cõfecisse, quo hausto, citra dolorem mortem sibi cõsciscebant. Omnia genera Batrachij sunt hic frequẽtißima in uineis, syluis, & paludibus.

Bechion, Latinè Tußilago: uulgò Vngula caballina, & Pas d'asne. Bechion autem appellatum est, quòd βῆχας, id est tusses, & orthopnœas iuuet.

Bellis, uel bellius maior, Grãde marguerite. *Officinæ uocant Consolidam mediam.*

Beta, Græcè τεῦτλον. De la poree.

Betonica, κίστρον, Betoine.

Betonica erratica, Des armories.

Betonica atilis. Oeuillet.

Betula, Bouleau.

Blitum, Poree rouge. *In quibusdã locis Galliæ dicitur* Hurgon.

Botryx frutex, Pymant. *Sabaudi uocãt* la miraine. *Botrys herba, est ea quã uulgò Herbam Hierusalem appellant.*

Braßica, Des Choux.

Braßica Triciana Columellæ, & Lacuturris Plinio. Gallicè Des choux cabuz.

Braßica Apiana, quam & Cato Selinoeidem, quòd Apium referat, appellat, Choux crespes.

Braßica Sabellica, siue Marucina Plinij, Choux rouges,

Braßi

Braßica marina, & Olus marinus Plinij: uulgò Soldanella.

Braßica syluestris, lege Cynocrambe.

Bryonia, De la couleuree: alij Du feu ardent. Vide ἄμπελος λευκή. Britannica, alijs ea herba est, quæ ab Italis dicitur Piatamana: alijs ea quæ dicitur Bistorta: alij putant esse Lapathum acutum. Eius autē herbæ & si origo ad Britanos refertur, circa Rhenum tamen in germanici Cæsaris exercitu inuētam Plinius autor est.

Bromus, Auoine.

Bucranium, Antirrhinon, uulgò Oculus cati, Mourron violet. Quare autē Bucranium dicatur iam expositum est.

Buceros, Fœnum Græcum, Senegré: Columella simpliciter Siliquam appellat. Buceros dicitur, quòd eius siliqua cornu bouis referat.

Buglossum, Lingua bouis, est nostra Borrago, quasi Corrago, Baillāt courage

rage. Nam Buglossum uino iniectum, lætitiæ & hilaritatis causa est, unde εὐφρόσυνον à Græcis dicitur.

Buglossum, siue Buglossa nostra uulgaris, est Cirsion Dioscoridi.

Buphthalmus, uidetur esse Cotula non fœtida. Cæterũ quòd dixerit Dioscorides flore esse luteo, ad medium floris, quòd luteum est, respexisse uidetur. Sic dicitur autore Galeno, quòd bouis oculum referat.

Bulapathum, siue Hippolapathum, De la parelle.

Bulborum nomine ferè intelligimus quas Eschallotes & Oignõnette, & Appetiz dicimus Nicander in Theriacis scribit semen bulborum aduersari ueneno.

Bulbus etiam nomen commune esse potest, quo ea, quæ radicem coagmentatam instar ceparum habent, significamus.

Bunias, Napus. Nauet.

Buxus,

Buxus, Bouix. Butomus, Ionc de quoy on fait les cabas.

Bryon, ſignificat Muſcum arborum, De la mouſſe. & Muſcũ eum qui inhæret lapidibus in mari & fluuijs. Muſcum autem arborum Aëtius uocat etiam Hypnum, & Sphagnon.

C

Cancamum, in officinis Cacca dicitur. Actuarius uocat Laccam.

Calamintha, Dioſcoridi triplex eſt: Montana, quæ nihil aliud eſt quàm uulgare Calamentum. Secunda eſt ſylueſtre Pulegium, Pouliot ſauuage. Tertia, Herba cataria, L'herbe aut chat. Montana dicitur etiam Nepeta. Calcifraga, Ampetrum, La rõpe pierre, ou Perce pierre. Herba eſt ferè ſimilis ei, quæ dicitur La creſte marine.

Cactus, Cinara altilis, Artichault. Vide Athenæum lib. 2. Dipnoſophiſt.

Calitrychon, eſt Adiantum album, plu

ra in

ra in Polytrychon.

Caltha, Gallicè, Soulcie, quasi Sol sequie. Nam cum solis ortu aperitur, cum occasu clauditur.

Cannabis, Du chanure.

Cacalia, Officinis Lilium cõuallium. Gallicè, Grãd muguet. Quidã putãt esse Cancamũ Galeni: alij dicũt semẽ esse Carni agrestis. Capnos, Fume terre.

Capparis, Capres.

Carus, uel Carum, Des carottes: officinæ Carui uocant.

Cardamum, Cresson alenois. Vide Nasturtium.

Cardamine, Cresson qui vient, es ruisseaulx. Et ea herba nihil aliud est, quàm Sisymbrium aquaticum.

Cardamomum, Graine de paradis. Itali uocant Melligretam.

Caryon basilicum, Nux regia, Iuglans persica, Vne spece noix.

Caryon myristicon, id est, Nux unguẽ

taria

taria: uulgò Nux muſchata.

Caryophillon, Clou de Girofle.

Carduus, ſimpliciter eſt Artichault. Et is duplex eſt, Satiuus, & Artichault Gallicè dictus, quē nonnulli, propterea quòd figura imitetur nucem pineam στρόβιλον appellāt. Agreſtis eſt Chardōnette. Carduum autem aduerſus uenenata uim habere. Nicander autor eſt.

Carpinus, eſt inter genera aceris Gallicè, Charme.

Caſſa ſyrinx antiquorum, eſt noſtrū. Cinnamomum, id eſt noſtra Cancella.

Caſſutha, uulgò Podagra lini, Goutte de lin, c'eſt vne petite herbe qui croiſt parmi le lin, & le ſuffoque.

Catanance, Pate de loup, aliȷ̃ Biſtortam: Catanance autem dicitur παρὰ τὸ κατ᾽ ἀνάγκην, quòd cogat ad amorem.

Caucalis, Perſil baſtard. In officinis quibuſdā dicitur Pimpinella hirſuta.

Cenchron, & Cenchros. Millium.

Centa

Centaurium maius uisitur in hortis D. Vassei Medici parisiensis. Est autem (ut quidam putant) Rhaponticum pharmacopolarum.

Centaurium minus Plinio propter multam amaritudinem Fel terræ dicitur. Olim in Gallia ea planta Exacum dicebatur, quòd omnes corporis morbos per aluum abigeret, quasi ἐξάγον: uulgus adhuc ex eo uocat Sacotin. Nomen autem habet à Chirone Centauro.

Cepa, κρόμμυον olim Vnio dicebatur, unde Gallicũ nomẽ, Oignon. Ea capitata si sit, Marsica cepa dicitur. Athenæus lib. 9. Dipnos. scribit κρόμμυον dici παρὰ τὸ τὰς κόρας μύειν, id est à claudendis oculis.

Cepa, canina, est Ampeloprasson, id est Porrum uineale.

Cepæa, Portulaca aquatiqua uulgò dicitur.

Ceraitis, à quibusdam Fœnum, Græcum

*cum,id eſt,*Senegré:*Vide Buceros.*

*Ceraſus,*Ceriſier.

*Ceraſia,*Guiſnes doulces.

*Ceraſia actiana,*Guiſnes noires.

Ceraſia Aproniana, Guiſnes fort rouges. *Ceraſia Ceciliana,*Guiſnes fort rõdes. *Ceraſia acida,* Griotes.

*Chamæacte,Humilis ſambucus, Latinè Ebulus,*Hieble.

Chamæceraſus , autore Aſclepiade quodam Myrleano apud Athenæum,lib. 2.Dipnoſ. in Bithynia naſcitur,cuius fructus edentium caput tentat nõ minus quã uinum.Quod idem tribuitur Mimecylis, id eſt fructui arbuti,quẽ Itali adhuc Ceriſes d'oultre mer *appellant.*

Chamecypariſſus,Humilis cupreſſus: herba quæ uulgò Cyprez *dicitur,quæ nihil aliud eſt,quàm Abrotonũ fœmina.*

Chameciſſos,Hedera terreſtris.

Chamædrys , Quercus humilis, & Trixago , Cheſnette,ou de la Ger-

 man

mandree.

Chamælea, eſt Parua olea: in officinis appellatur Mezereon: tamen multis non placet eſſe Mezereon Meſuæ, ſed id potius quod dicitur Linum ſylueſtre, quod in quibuſdam locis Galliæ dicitur Gentil bois.

Chamæleon præſertim niger, eſt folijs ſimilibus Cinaræ, in officinis quibuſdam dicitur Cardopatium, & Carduus ſuarius, quòd ſues, ſi in polenta exhibeatur, interimat.

Chamæleon albus, non habet caulem, ſed è medio foliorũ cõplexu ſtatim à radice caput exerit breui pediculo fultũ, & dẽſioribus ſpinis echinatũ, in quo flores emicant purpuraſcentes, & ſtatim ſe in pappos diſſoluentes: fructus autẽ non eſt diſsimilis Cnico: frequens eſt in neglectis agris, & in montibus, ob id ὀρεινὸς à Nicandro dicitur: nomen aliud nõ habet neque in officinis, neque apud uulgus.

Chame

Chamepitys, Humilis & terrestris pinus, Aiuga Scribonio dicitur, uulgus Iuã muſcatam appellat.

Chelidonium maius, Chelidoine, Eſclere.

Chelidoniũ minus, uulgò Scrofularia minor dicitur, quòd ſtrumis, quas Græcũ uerbum χοιράδας exprimẽtes Scrofulas appellãt, medeatur. Quidã è uulgò, Des baſsins appellant. Chelidonium autẽ dictũ eſt, uel quòd chelidones, id eſt hirundines eam plantam inuenerint, uel quòd pullis ſuis, hac uerba oculos reſtituant.

Chõdrilla, eſt illa Sereos ſpecies, quæ in ſegetibus floribus luteis cõſpicitur, & eſt uerum Taraxacon.

Chryſanthemum, à quibuſdã putatur eſſe, Des marguerites blãches: ſed nõ rectè, nã flos illi luteus eſt. uidetur autem ea plãta in ripis Gentilliacis. Vel potius Chryſanthemum eſt ea Anthemidis ſpecies, quæ folijs per ambitum luteis cõſtat,

ut Leucanthemum albis.

Chrysolachanon, Atriplex. Bonnes dames. Cicer, ἐρέβινθος, Chiches.

Cichoriũ, est Seris syluestris, quæ Picris dicitur, Cichorée sauuage. Vide Seris. Cyclaminus, à Latinis dicitur Rapum, & Tuber terræ (ut uertit Gaza apud Theophrastum) uulgò appellatur Pain de pourceau.

Cicuta, κώνιον Cigue. Cicutæ uenenata est potio apud Nicandrum in Alexipharmacis.

Cydonia malus, Vne cognaciere. Dicta est autem Cydonia (autore Q. Sereno) quòd è Cydone Cretæ insulæ urbe aducta sit.

Cinnamomũ, uel ipsis indigenis quid sit ignoratur. Nostra Canella est uera Casia antiquorum.

Cinara, Artichault: à puella quæ in eam plantam mutata est.

Cynosbatos, Rubus canis, Eglantier.

De

De hoc dicetur in dictione Rubus.

Cynoglosson, est plãta similis Orchanette nostræ, sed est sine caule. Non est Lingua canis herbariorum uulgarium: nam uerum Cynoglosson, folio est molli, uenoso, latiusculo, lanugine molli: canescit, & in sabuletis nascitur.

Cyparissus, Cyprez. Pilulæ cupreßi dicuntur Coni: unde Coniferæ cupreßi apud Virgil. Græci eas uocãt σφαίρια κυπαρίσσȣ. Grãmatici annotant dictam esse παρὰ τὸ κύειν πατρίσȣς τȣ̃ς ἀκρεμόνας, id est quòd pariles fructus & ramos pariat. Lege Ruellium.

Cyperus, Souchet. Sunt qui Galangã syluestrem uocant.

Circæa, uidetur esse Vitis agrestis & nigra: uel potius ea plãta ignoratur. Nomen autem à Circe habere uidetur.

Cirsion, Vide Buglossum.

Cisthus, frequentißima est in Gallia Narbonẽsi, ubi ea nõ assurgit supra ho-

minis altitudinem:huius plātæ radicibus hærēt stolones, ex quibus cōtusis fit Hypocisthis. Dicitur illic De la guarine.

Cytinos, uocamus futura mora: quare prima germinatio unde promittimus nobis malum Punicum, est Cytinus: alij uolūt Cytinum florem mali Punicæ satiuæ, Balaustium uerò agrestis.

Cytisus, quærēdus est in Alpibus: frutex est trunco craßitudine brachij, ex quo fiunt arcus, ut ex taxo: flos eius tam magnus est, ut satis sit capræ pascendæ in unum diem.

Clematis daphnoides, Vinca peruinca Plinio, uulgò Du lisseron, De la peruenche. Clinopodium, quidam uocant Pulegū montanum: uox ad uerbum significat Pedem lecti. Clymenū: uulgò Saponalis, & herba Cypria: Plinius scribit inuentum à rege Clymeno.

Cnicus, uel Cnecus, officinæ Cartamū uocant, Saffran sauuage.

Cocalus Hippocratis, La pōme de l'artichault. *Quidam ex latinis uocauerunt echinum illum, ſiue capitatum* στρόβιλον, *quòd nucem pineam referat. Columella totam plantam uocat Cinaram.*

Coccus tinctoria, κόκκος βαφική. *Ea planta in Gallia Narbonēſi frequentiſsima eſt, ubi* Vermeillon: *ab alijs* Eſcarlate *dicitur: Arabes uocant* Kermes, *unde Cramoiſinus color, quaſi Kermeſinus.*

Colchicum, Mort à chien.

Colymbades oliuæ, quæ puræ, id eſt ſine accerſita cōmendatione oleo ſuo innatāt, & ueluti urinabundæ fluitant. Dictæ autem ſunt ἀπὸ τοῦ κολυμβάζειν, *id eſt Vrinari. Diphilus quidam apud Athenæum dicit* ἐλαίας ὀλιγοτρόφους εἶναι, καὶ κεφαλαλγεῖς. τὰς δὲ κολυμβάδας καλουμένας εὐστομαχοτέρας, *id eſt, Oliuas parum alere, & malum capiti inferre: Colymbadas autem ſtomacho magis conuenire.*

Colocaſiæ nomine, totam plantam fa-

bæ Aegyptiæ Plinius intelligit. Diphilus quidā apud Atheneū lib. 2. Dipnoſ. dicit radicē fabæ Aegyptiæ uocari κολοκάσιον.

Colocynthis, Colocynthidos, Courge ſauuage, Coloquinte. Colocyntha hortenſis, Cucurbita, Courge.

Colutea, uel Colytea, Baguenaudier.

Conferua, eſt herba uilloſæ denſitatis atque fiſtuloſæ, ea inuenitur enatans fluminum uadis, ſpongiæ referens imaginem, uulgus Spongiam fluuialem uocat. Nomen ex eo inuenit, quòd præſentaneū ſit, autore Plinio, remedium aduerſus fracta oſſa, quæ cū per poron glutinātur, conſeruere à Celſo dicuntur, ab Hippocrate κρατύνεσθαι.

Conyzæ utriuſq; folia ſunt oliuæ ſimilia, hirſuta, pinguia: in maiore, caulis duorum cubitorum altitudine attollitur: in minore, pedem æquat. Dicitur uulgò Herba publicaris, Herba cōtra peſtē, & Herbe de Sainct Roch. Nicander in

Theriacis

Theriacis & Alexiphamarcis, ueneno resistere scribit.

Consiligo, ea est planta, quæ nunc à uulgo Gallorum Pomelea quasi Pulmonea dicitur, quòd remedium sit præsens aduersus pulmonum uitia: hac utũtur ueterinarij medici in affectibus pulmonũ. Quidam herbarij Patam leonis uocant.

Conuoluulus ἐλξίνη κισσάμπελος folijs est hederæ lõge minoribus, & in mucronẽ turbinatis, & herbas alias suo reptatu inuoluit: uulgus Campanulã, & Du liset appellat: in officinis uolubilis dicitur: quidam & Liliastrum uocant. Nam (ut Plinius ait) Conuoluulus est rudimẽtum naturæ lilia facere cõdiscẽtis ἐλξίνην autem ἀπὸ τοῦ ἕλος καὶ ξένος deducũt, quasi dicas paludum hospitem.

Coriandrum κορίανον, uel κόριον, Coriandre. Nicander reponit inter uenenatas potiones.

Corylus, Couldre.

Coris est genus Ericæ, Vne sorte de Bruyere. Cornus, Cornouillier.

Coronopus, ab alijs dicitur Capreola, ab alijs Gramen, quod uulgus Dĕtem canis uocat. Quamuis etymon sit Pes corrui, non est tamen ea planta, quæ pro Pede corrui ostenditur.

Corruda, Vide Asparagus.

Costus, apud recentiores Græcos ea herba est, quæ uulgo dicitur Du cocq. Ruellius putat id esse quod Plinius Siliquastrum & Piperitim uocat, De la poyurette. Sunt qui Mentam Romanā uocant. Veteres Græci per Costum, radicem tantum intelligebant, estq́; subamarus. Costus autem Arabum dulcis, & amarus Græcis indictus, sed κόσος γλυκὺς, Actuario Arabas imitāti in secūdo Dialacham dicitur. Cotyledon, Vmbilicus Veneris. Nomen retinet. Sunt officinæ quæ Cymbalariam uocant.

Cotoneum malum, κυδώνιον. Duplex est,

est, aliud minus, rotundius, & acerbius, quod masculũ uocamus: Gallicè, Coing franc: aliud lõgius, maius, & minus acerbum. Galenus lib. 6. De sanitate tuẽda, ea malã uocat Struthia: & lib. 2. Alimentorum, Struthiomela, à cause qu'ilz ressemblent à vng oeuf d'Austruche.

Crategon, Aquifolium, Houx.

Cratæogonũ, Curage uocatur à Gallis, à multa acrimonia qua urit.

Crithmon, siue Crithamon, Creste marine.

Crinon, Latinè Lilium, Lis.

Crocus, Saffran.

Crocodilium, nomẽ retinet. Ruellius omnino arbitratur esse eam herbã quam Carlinam appellant.

Crotõ est semẽ Ricini, id est, Palmæ Christi. Sic aũt dicitur, quòd figura uermiculũ referat qui canibus hæret, Gallicè Tique dictum. Cucurbita, Courge.

Cucurbita cameraria, quæ facili &

admodum flexibili ramorũ curuitate te-cta, operit pergulas.

Cucurbita anguinalis, crescẽs in multam longitudinem.

Cucurbita somphos Græcis dicta, coactæ breuitatis, digitali craßitudine, & in saxosis nascens, à nobis Barbara & marina dicitur.

Cucurbita hortensis, κολοκύνθη dicitur. Athenæus & σικύαρ à Nicandro in Georgicis appellari scribit.

Cucumis satiuus, Concombre.

Cucumis syluestris, uulgò Cucumis Asininus, Anguineus: cuius succus Elaterium dicitur.

Cucumis, Græcè σίκυορ uel σίκυς.

Cuminum, Comin.

Cunola, Grecè Thymbra: est Satureia, Sarriette.

Cynosorchis, Latinè Testiculus canis, quod nomẽ uulgus retinet dicitur & Serapias, à Serapi Aegyptiorum Deo, propter

propter magnam lasciuiam, qua is Deus *Canopi colebatur.*

Cyphi, ferè respondet nostræ auiculæ Cypriæ, c'est quasi vng mesme perfun que L'oiselet de Cypre. *Hoc suffitu Aegyptij sua numina sibi placabãt. Eius autem compositio est apud Dioscoridem, Galenum, & Plutarchum de Sacris Isidis & Osiridis.*

D

D*Acrydion, à recentioribus Græcis dicitur ea lachryma quæ funditur à radice Scammoneæ, uulgò Diagrydion corruptè dicitur.*

Dactyli, Dactes, & Figues royalles, *palmæ sunt fructus.*

Damasonium, ab alijs uulgò Plãtago aquatica, ab alijs Fistula pastoralis dicitur.

Daphnoides, Laureola, quod similia habeat folia lauri folijs.

Daucus, Carottes, ou Panez sauuages:

uages: quod intelligendum eſt de primo genere Dauci nobis frequentiſſ.

Dipſacus, uulgò Labrum Veneris, Chardon de bonnetier. Dictus eſt autem Dipſacus, παρὰ τὸ ἄκος τῆς δίψης, id eſt à remedio ſitis. Nam in foliorum cauitatibus aquam habet qua ſitim ſedat.

Draba, aliàs uulgò uocatur Araba. Apud quoſdam herbarios dicitur Naſturtium Orientale & Babyloniũ, apud alios Cuminum ſylueſtre.

Dracunculus δρακοντία uulgò Serpẽtaria. Arum & δρακόντιον appellari exiſtimat Theophraſtus, διὰ τὸ τὸν καυλὸν ἔχειν τὴν ποικιλίαν.

Dryopteris, uulgò Oſmunda regalis.

Dios anthos, Coquelourdes.

E

EBulus, eſt humilis Sambucus. Hieble. Echium, herba eſt ſimilis Anchuſæ & Bugloſſo, adeò ut nonnulli uocent Bugloſſum ſylueſtre, uulgò dicitur

herba

herba Hircina. Quidam deducunt à nomine ἔχις, id est à uipera, aduersus cuius ictum ualet.

Elaphoboscũ, Latinè Pabulum cerui. Quidam Galli uocant de la Falouze. Apud quosdam herbarios dicitur Gratia dei. Dicitur & hæc plãta Ophioctonon, q̃ ea cerui se armẽt aduersus serpentes.

Elatine, campestre Rapistrum, Raue sauuage. Quidam putant esse Gramen Parnasium.

Elaterium, Vide Cucumis syluestris.

Elelisphacos, Saluia, quam ἀλθήεντα, id est medendi uiribus præstantem uocat Nicander in Theriacis.

Elichryson, uel Heliochryson Dioscoridis, est Galeni & Pauli Amarantus luteus, qui in officinis dicitur Stœchas citri: plãta freques est apud Santonas Aquitaniæ populum. Dicitur autẽ Heliochryson, quòd ad solis repercussum, comantibus in orbem florum folijs fulgorem auri

præ

præ ſe ferat.

Elleborus, Latinè Veratrum: duplex, albū & nigrū. Verart, & Ellebore.

Empetrū, La rompe pierre: & reſemble quaſi la Creſte marine.

Ephemerum illud non noxium, ſecundum Galenum eſt Iris ſyluestris, quod ab alijs putatur eſſe Hemerocales, ab alijs Lilium conualium, ab alijs Grand muguet *dicitur.*

Ephemerum aliud Colchicum, quo die ſumptum fuerit (ut nominis ipſa ratio oſtendit) interimit.

Epimelis, eſt uera Meſpilus noſtra (ut ait Muſa) Galenus in Exegeſi uocū Hippocratis, ſcribit fructum huius arboris dici ab Hippocrate ἀμαμηλίδα.

Epiroticis malis putantur reſpondere noſtra Orbicularia poma, Pommes de capendus.

Epithymum ſecundū Dioſcoridē & Græcos, eſt flos è Thymo duriore, & Sa=

tureiæ

tureiæ ſimili. Secundũ Arabas eſt Cuſcuta thymo innata, & ueluti capillus quidam ruber circa herbas innaſcens, ut circa linum naſcitur Cuſcuta, quæ dicitur Linobanche, quaſi linum ſuffocans: eadẽ naſcitur circa Orobum, & dicitur Orobãche. Innaſcitur & Satureiæ ſeu Thymbræ: & dicitur ab Actuario Epithymbrum.

Equiſetum, Vide Hippuris.

Erica, ἐρείκη, Bruyere.

Eryngium, eſt ex genere aculeatorũ, Igò dicitur Centum capita, quòd infinita capita habeat, ducta in ſtellas, Nicander in Theriacis, Eringium uenenis reſiſtere affirmat.

Eriſimum Latinè Irio uel Trio (ut quædam Plinij exemplaria habent) uel Trionũ (ut Gaza uertit apud Theophraſtum) à quibuſdam herbarijs dicitur Sinapi ſylueſtre. In locis quibuſdam Galliæ, dicitur De la Tourtelle: frequens eſt

in uallis urbis. Itali uocant Erucam nobilem.

Eruca, εὔζωμον, Roquette: εὔζωμον autem dicitur, quòd iura commẽdet.

Erithrodanũ uulgò Rubia tinctorũ, Garance. Gaza uertit Rubiam.

Eruum, Græcè, Orobus, Des ers. Santones legumen quoddã appellãt Garrobe, nomine (ut arbitror) ab Orobo deducto, sed id non omnino ſimile eſt Orobo Dioſcoridis. ὄροβος ἐφθὸς βοῦς λιπαίνει (autore Dioſcoride) id eſt, Orobus coctus boues ſaginat, quod innuiſſe Vergilius uidetur hoc uerſu.

Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in eruo.

Euonymos, ſiue Anonymos putatur ea arbor eſſe, quæ dicitur uulgò Fuſaria, Du fuzain, quòd fuſi ad nendum ex ea arbore cõparentur. Coqui etiam uerucula transfigẽdis lardo carnibus ex ea conficiunt. Eius ſiliquæ uulgò uocantur Scro

ta sacerdotum. Sunt qui eam arborem anagyrin esse contendant.

Eupatorium, Agrimoine: nomen habet (ut autor est Cicero) ab Eupatore rege.

Euphrosynum, Vide Buglossum.

F

FAgus φηγὸς, Fouteau, ou Fayãt. Sunt qui uocant Du hestre. Eius glãdes nucleis haud absimiles cute triangula inclusæ, Gallice dicuntur Des fannes.

Far rutili coloris, fortasse illud est, quod à Columella Vermiculum dicitur. Vulgò frumentum rubrum dicitur.

Far candidius quod putatur esse Clusinũ Columellæ, rura nostra uocãt Blãce. Vtrunque uulgò uocatur Blé barbu.

Farrago, mistura ex Secali & tritico, Mesture. Ficus, Figuier.

Ficus Aegyptia, Idæa, Pelagica, & Alexãdrina quia non uisuntur apud nos,

ideo nomen eis inditum non eſt. De Syco moro dicemus ſuo loco.

Filix, Fougiere.

Filicula, Polypodiũ quercinum præſertim.

Fœniculum, Fenoil, μαράθρον. Fœniculũ ſylueſtre, in officinis Fœniculum agreſte, & quia ſatiuo lõge maius eſt, Hippomarathron dicitur.

Fœnum Græcum, Vide Buceros.

Fragum, Fraize. Neſcitur adhuc quo nomine arbor hunc fructum ferẽs Græcis dicta ſit, niſi Rubus Idæus humilis ſit.

Fraxinus, Freſne, μελία Græcè: hæc arbor apud Homerum celebratur, quòd materia ſit maximè idonea conficiendis haſtis.

Frumentum, quicquid ariſtas mittit, & per hyemem in herba eſt.

Fumaria, Græcè καπνὸς, Fumeterre.

Fungi, μύκητες, Champignons.

Galeopſis,

G

GAleopsis, quæ uulgò Herba cataria pingitur, uidetur esse Vrtica mortua, Labeo: alij putant esse Agripalmam, In officinis dicitur Scrophularia maior, Ficaria, Millemorbia. Nomen habet à Mustelæ aspectu.

Galbanum, succus est ferulæ nascẽtis in Syria: nomen retinet.

Galion, à quibusdam id esse putatur, quod dicitur Le petit muguet, quanquam aliud ostenditur flore luteo. Sic nominatur quòd (ut ait Dioscorides) in cõtrahendo lacte coaguli uicem habeat.

Gallicentrum Ruellij, uidetur esse Horminum Græcorum.

Genista, Genez, σπάρτιον.

Gentiana, Gentiane: nascitur plurima in quibusdã locis Galliæ. Sic autem nominata est à Gentio Illyriorum rege. Dicitur & Aloe Gallica, ob multum amarorem.

Geranij prima ſpecies uulgò dicitur Acus paſtoris, ſecunda, Pes columbinus Nomen habet ἀπὸ τ̃ γεράνου, id eſt, à grue, cuius caput figura refert.

Gerontopogon, id eſt, Barba ſenis, uulgò Barba ſacerdotis, uel Barba dei.

Gethyum, Cepa non capitata, Ciboule.

Geum, ſiue Gethys, Mors à diable. In aliquibus locis Galliæ dicitur Salmon dæ: ac ſi Sanamundam dicas.

Gith, Græcè Melanthium, uulgò Nigella Romana, Nielle, Poiurette, à piperis colore.

Gingidium, Cerefolium, Cerfueil, quaſi χαιρέφυλλον, quòd folijs luxuriet.

Gladiolus, Græcè Xiphion, Glayeul: folio eſt minore quàm Iris: Theophraſtus ex eo nominatum putat, quod eius folia enſem referant.

Glaſtum, Græcè Iſatis, Guede, ou Paſtel.

Glaux,

Glaux, oſtenditur folio ſimili Glycyrrhizæ, uulgò Mala domus dicitur.

Glycyrrhiza, Latinè Dulcis radix, Ragaliſſe.

Gnaphalium, uulgò Cottonaria: alij uolunt eſſe Herbam cruciatã. Dicitur autem Gnaphalium (autore Galeno) ex eo quòd ἀντὶ τῶν γναφάλων, id eſt pro tomentis uti liceat.

Gongylis, uel Gongyle, Latinè Rapum. Rabe: quod in immenſam craßitudinem in quibuſdam locis creſcit.

Gramẽ, uulgò Dent de chiẽt, quòd genicula radicis eius figura & albore caninum dentem referant: Vide Agroſtis.

Goßipium & Xilon Plinij, Arbre portant le Cotton.

H

HAlicacabus, Alquequengi ab Arabibus dicitur, Galli Baguenaudes: Vide Solanum.

Halimus, quibuſdam putatur ea arbu-

ſcula, quæ in ſepibus creſcit, Blanche putain uulgus appellat: ſed reuera ea planta ignoratur. Haſtula regia, Vide Aſphodelus. Hebenus, Hebene.

Hedera, κίσσος, Lierre, ſiue ea muris, ſiue arboribus hæreat, ſiue humi naſcatur.

Hedyoſmos, uidetur eſſe ea Mẽta hortenſis, quæ caule eſt ſatis craſſo, ea enim odoratiſsima eſt. Nam odor plante (ut ait Plinius) fecit, ut eam herbã, quæ μίνθη prius dicebatur, ἡδύοσμον Græci uocarent.

Hedyſarũ, Securidaca, Cornuette, quibuſdam dicitur Cepa marina.

Helenium, Enula campana.

Helxine, uulgò Parietaria, quòd muris adnaſcatur, dicitur etiã Vrceolaris, quòd urcei ea extergeantur, Parietaire. Quidam affirmãt nomen deduci ἀπὸ τοῦ ἕλκω, eò quòd aſperitate ſua tenaci nexu ueſtes quibus hæſerit ad ſe trahat: quanquam aliud uocis huius etymon ſcripſimus in

uoce

uoce Cissampelos.

Helxine *Cissampelos,id est,* Hedera *uinealis, uulgò* Volubilis *uinealis.*

Helioscopius,Species tithymali,folio portulacæ, *nascens in ruderibus, &* co*mas suas cum sole circumagens.*

Heliotropium *præsertim magnum, uulgò* Herba *cãcri,quod flores in caudæ cancri similitudinem inflectantur.*Neque *ea est herba,quam uulgò* Soulcie *dicimus.* Nomen *ex eo habet quòd ad solem se conuertat.*Celsius *appellat herbam solarem.*

Hemerocalles,*uulgò* Lilium *syluestre uel marinum.*

Hemionitis, *uulgò* Lingua *ceruina, & uulgaris* Scolopendra:*quanquã* Lin*gua ceruina uidetur esse magis* Phillitis. Sic *dicta est ea planta,quòd muli ea delectentur.*

Hesperis,*uulgò* Herba Gallica. Sunt *qui uocãt* Giroflee: *quòd* Caryophyl-

lum oleat.

Hyacinthus, Oignon de bois, ou Vaſsiet. Nicander in Theriacis ſcribit Hyacinthum puerũ, quum Apollini colluderet, ab eo, diſco ex imprudentia interfectum, atque ex pueri cruore, Apollinis commiſeratione herbã enatam eſſe Alij dicunt hunc florem ex Aiacis ſanguine natum, interpretanturq́; de eo Vergilianum illud.

Dic quibus in terris naſcantur nomina regum. Inſcripti flores. De hac re uide libr. 13. Metamorphoſeos Ouidij.

Hydropiper, Piper aquaticũ: Eupatorium uulgare pharmacopolarum.

Hieraciũ præſertim maius, Eſpece de Cichoree ſauuage. Quidã herbarij Cichoream luteã aut croceam uocant. Nomen ex eo inuenit, quòd ἱέρακες, id eſt accipitres, Gallicè Sacres, ſucco huius herbæ oculorum obſcuritatẽ diſcutiant.

Hieratium minus, in quibuſdam officinis:

nis dicitur Dens leonis: in alijs Barbuta, Taraxacon, & Altara.

Heptaphyllon, Tormentilla.

Hyoſciamus, Vide Altercum.

Hypericum, Mille pertuis.

Hippogloſſon, putatur à Ruellio Bonifacia Italorum. Quidam affirmāt eſſe eandem Plantam cum Lauro Alexandrina. In quibuſdam locis Galliæ dicitur Lingua pagana: ſignificat ad uerbū Linguam equi.

Hippolapathum, La parelle, La patience. In hac uoce, ἱππο auget, quaſi dicas magnum Lapathum, ut etiam in ſequenti dictione.

Hippomarathrum, Magnum fœniculum ſylueſtre, & Erraticum.

Holoſtium, uel (ut alij ſcribunt) Holoſteon, Molle gramen, uel Denticulus canis. Nominata eſt hæc plāta κατ' ἀντίφρασιν, quòd ſit ſine duricie.

Horminum, Toute bonne, Horuala, quod

la, quod duplex eſt, ſatiuum, & agreſte.

Hyſſopus, Iſope.

I

IAſminum, Iaſmin: ea herba nuper ex Italia aduecta eſt, ab Actuario zambacus dicitur.

Ilex glandifera, quæ gerit glandem uulgari ſimilem, ſed multò efficaciorem glandibus quercus. Ea autem Ilex rara eſt in Gallia.

Ilex conifera, duplex eſt: alia Quiſquilium dicta eſt, gerens coccum baphicum, id eſt granum tinctorium, Eſcarlatte, quæ freques̃ eſt in Gallia Narbonẽſi. Alia dicitur Aquifolia, Gallicè Du houx. Sunt qui referunt φελλόδρυν, id eſt ſubiferam arborem, ad Ilicem.

Intybus, eſt nomẽ commune, quo Scariolas ambubaias, Cichoria, Endiuiam intelligimus.

Inula, Vide Elenium.

Iouis barba, Vide Aeizoon.

Iouis

Iouis glans, putatur esse castanea, quæ à Galeno dicitur τὸ κασανον.

Irio, Vide Erysimum.

Iris, Flābe: sic dicitur à multiplici colore, qui spectatur in uno Flore: Flābe autem Gallicè appellatur, quòd maximè excalefaciat.

Isatis, Vide Glastum. Tinctores habent craßiorem farinam Isatidis, & uocant La guede: & nobiliorem, quæ dicitur Pastel.

Isopyrum, est genus Phaseolorum, folio aniso simili, semine gustu referente Melanthium.

Iuglans nux, Noix commune. Dicitur nux Indica ab Actuario in Diasatyrio.

Iuncus, σχοῖνος Græcè (quòd ex eo funes fiant) multiplex est, unus craßitudine & magnitudine insigni, fungosáque medulla in aquis uiuens, Plinio Mariscus dictus: alius ex quo fiunt ellychnia

chnia, hunc Scirpum appellamus, Is autem ex quo fiunt fiſcelle, Oloſchœnos dicitur. Alius eſt Melancranis, id eſt, capitulum nigrum habens, gerens fructum ramorum cohærentium modo.

Iuniperus, Geneure ἀρκευθὸς, uel ἀρκευθύς. Gumini Iuniperi ab Hermolao Barbaro dicitur Vernigo: Galli. Vernix, appellãt quod in uſu multo eſt ſcriptoribus & pictoribus.

L

LAbrum Veneris, Vide Dipſacus. Duplex eſt hæc planta, Satiua quæ eſt le Chardon de bonnetier: Sylueſtris, uulgò Virga paſtoris.

Lactuca ſatiua, Græcè θρίδαξ, uel θριδακίνη: à recentioribus Græcis μαρούλιαν, Laictue.

Lactuca ſeßilis, Capitata, Laconia, Laictue pommee.

Lactuca ſylueſtris, ſponte naſcens, uulgò dicitur Taraxacum, alij pro ſylueſtri

ſtri Lactuca eam herbam accipiunt, quæ Endiuia uera dicitur. Alij Chondrillã, lactucæ ſylueſtris etiam ſpeciem eã uolunt eſſe, quam Gallicè Lecteron nominamus. Lactuca autem autore Palladio, ex eo dicta eſt, quòd lacte abundet.

Ladanum nomen retinet in Officinis. Eſt autem is ſuccus, quo capræ, dum Ciſtrum fruticem depaſcũtur, barbas ac uillos imbuũt: unde poſtea homines depectunt quod Ladanum dicitur.

Lampſana, Sanue.

Lanaria herba, Græcè Struthiõ, uulgò Herba Fullonum: & in officinis Saponaria.

Lappa maior, προσώπιον, Perſonata, quòd ex ea perſonæ fierent: Du glouteron, uulgò Bardana.

Lappa minor, Vide Arction. Habet ea herba echinos inhærentes ueſtibus, Des graterons.

Lapathi primũ genus uidetur id eſſe, quod

quod uulgò De la patience dicimus. Secundum genus est Lapathum rotundum uulgò dictũ, quod uidetur Rhabarbarum Cartusianorum. Tertium genus est Oxalis Turonica, De l'ozeille de Tours. Quartum est uulgaris nostra Oxalis, nostre Ozeille cõmune. Lapathum autem dicitur ἀπὸ τοῦ λαπάζειν, id est inanire & uacuare. Omnium siquidẽ generum Lapathi folijs decoctis aluus mollitur, Rumex Latinè dicitur.

Laser, & Laserpitium, σίλφιον, Benioin. Hodie è Taprobana maris Indici insula omniũ maxima, ut ait Ludouicus Romanus patricius, cõuehitur præstantissimum.

Lathyris, uulgò Cataputia minor, Espurge.

Lauer, Græcè Siũ: nascitur in aquis, Berle.

Lens, species leguminis, Græcis, quia edendo est, φακὸς ἐσθιόμενος, Lentille.

Lens

Lens palustris, etiam Gallico nomine Lentille dicitur.

Leontopetalon, uulgò Patta leonis: Gallicè De la pommelée: Itali Papauerculum uocant.

Lẽtopodion Ruellio putatur esse Cruciata nostra, alijs Calendula: frequẽs est in hortis. tritum autem olet sinapi, & illius ac piperis acrimoniam habet.

Lepidiũ, uulgus Gallorum, Passe rage vocat. Paul. Aegineta Lepidium, Iberidem, & ἀγριοκάρδαμον eandẽ plantam facit. Cæterum Lepidium dictũ est, quòd λεπίδας, id est maculas in facie extergeat.

Leucacantha, species cardui, folia lactucea habentis, maculis albis conspersa, appellatur uulgò Carduus beatæ Mariæ.

Leucoion Dioscoridis, quibusdam id uidetur esse quod uocamus Des giroflées. Officinæ autem Mauritana uoce Keiri appellant: quanquam luteum hoc

tantum nomine appellandum quibuſdam placet, Leucoion Theophraſti Maſſario eſt, quod circa Natalem CHRISTI, etiã ſummis frigoribus, floret paßim in ſyluis, nunc etiam in hortis.

Libanotis, Roſmarin: ſic dicitur qđ λιβάνου, id eſt thuris, odorem habeat.

Liguſticum nonnullis placet eam eſſe herbam, quæ uulgò De la leueſche dicitur, ſed rectius dicemus Liguſticũ ignorari. Nam Smyrnium noſtræ Leueſchiæ magis conuenit. λιγυστικὸν, uel cum Galeno λιβυστικὸν, Leonicenus & Muſa uocãt Radicem imperatoriam.

Liguſtrum, Du troeſne.

Lilium, Lis, Iunonia roſa.

Liliaſtrum, Lilium ſylueſtre, Hemerocallis, uulgò Lilium marinum.

Limonium, Beta ſylueſtris, Bete de pré, & ſauuage.

Linozoſtis, uulgò Mercurialis.

Linum, Lin.

Lyſima

Lysimachia, uulgò uocatur in quibusdam locis Corneola, in alijs Falsia aquatica. in alijs locis Galliæ dicitur Chasse bosse, quòd multũ efficax esse aduersus pestem creatur, frequens est in Cenomanensi agro. In aliquibus locis etiam dicitur Salicaria. Appellata à Lysimacho rege. Lithospermon, uulgus herbariorũ Milium solis, Gallicè Grenil, uox ad uerum significat Lapidosum semen.

Lolium, Vide Aera.

Lonchitis, à uulgò herbariorum dicitur Lanceolata, quod etiam Græcum nomen indicat.

Lotus arbor, Alisier: Itali uocãt Amarenum Pongeranum. Fructus loti describitur ab Homero lib. 9. Odyss. Lotus herba putatur esse Trifoliũ minus quod nascitur in pratis. Describitur alia Lotus ab Athenæo lib. 14. Dipnosophist.

Lupinus, Lupin, amarissimus est, ob id

tristes lupinos Vergilius appellat.

Lupus salictarius, Lupulus, Houbelon.

Lychnis satiua præsertim, uulgò Coquelourdes: *Gaza uertit Lucernulam.*

Lycopsin, quibusdam placet esse Cynoglosson herbariorum.

Lygos, Latinè Vitex, Agnus castus, *Gaza uertit Amerinã. Ligos autem ex eo dicitur, quod maximè lẽta & flexilis sit.*

M

M*Alobathrum, folium Indicum,* Fueillet d'Inde: *Lingua Mauritanorum, Tembul dicitur.*

Malicorium, Testa mali granati.

Malua, μαλάχη, Maulue.

Malua satiua, Rose d'oultre mer: *δενδρομαλάχη, id est, arborescens malua dici potest.*

Malus serotina, Pommier tardif.

Malus præcox, Põmier hatif, *qualis est quæ Persica Trecanica fert,* Pesches

ches de Troye, & Auantpesches.

Malus agrestis, Põmier sauuage.

Malus generosa, Pommier franc.

Malus in sita, Pommier enté.

Malus bifera, Pommier de deux portées.

Malus Cydonia, vng Coigner.

Malus Armeniaca, vng Arbricotier. *Malus Persica*, vng Peschier.

Malus Punica, vng Grenadier.

Malus Medica, vng Orangier.

Malus citrea, vng Citronnier.

Mandragoras, Gallicè Mandragore, Mandegloire.

Mãdragoras mas, dicitur μώριον, *fœmina*, θριδακίας: *Hermolaus Barbarus refert Mala insana*, Põmes d'amours, *ad Mãdragoram.* *Marrathrum*, Fenoil.

Marrubium, πράσιον: *nomẽ retinet in Officinis, & apud uulgus.*

Marũ, à quibusdam putatur esse herba similis Origano: quibusdã placet esse

 herbam

herbam, quæ uulgò Mastic dicitur.

Meconium, Papauer, Pauot.

Melanthium, Nigella Romana, uide Gith. Nielle ou Poiurete, à colore piperis. Melanthium syluestre, Nigellastrum, Githago, Des alosnes.

Melissophyllon, De la melisse: dicitur & Citrago à quibusdam, quòd tritacitri odorem referat.

Melilotos, Sertula campana, Corona regia, Melilot.

Menta, De la mente, uide Hedyosmos. Dicitur & Balsamum.

Menthastrum est folijs lanuginosioribus, & simile est Sisymbrio, id est, Mētæ aquaticæ.

Mespilus, secundum Dioscoridem, arbor est aculeata, ferens tricoccum fructum, qualis est quæ fructum Azarolum Neapolitanis dictum profert.

Mespilus autem nostra, est uera Epimelis Dioscoridis.

Myagrum, De la Cameline.

Myosotis, *Alsine*, *Auricula muris*, Coquille de prebstre, Mourron.

Myrica, *Tamarix*, Tamarin: *officinis*, *Tamariscus*.

Myriophyllon, *Latine Mille folium*. *Ignoratur hæc planta*, *quibusdam tamen placet esse Anethum syluestre*, *alijs Cuminum syluestre*.

Myrtidanũ, *alijs dicitur Soboles adnata Myrto*: *alijs significat fila*, *quæ inuoluunt Myrtum*.

Myrtus, Meurte.

Myrrhis, *secundum Manardum est nostrum Cerfolium*, *sed id non est uerisimile*. *Plinius facit speciem Geranij*: *alijs placet esse Pedem columbinum*. *Officinis dicitur Cicutaria*: *uulgus Gallicum uocat* Persil d'asne. *Morus*, Meurier.

Moschocaryon, Noix Muscade.

Muscus arborum, *Vide Eryon*.

N

NApus βουνιὰς, Nauet.

Narcissus qui hîc ostenditur, à Plinio refertur ad Lilium. Visus est Narcissus uiolaceo flore, qui uerus Narcissus Theophrasti putatur esse. Quidam etiam Petilium florem ad Narcissum referunt. Narcissus, autore Plinio, non à fabuloso puero, sed à torpore, qui Græcè νάρκη dicitur, appellatus est. Dolores enim capitis & grauitates efficit. Quod ipsum Plutarchus scribit Symp.3. Quare Sophocles deorum subterraneorum coronamentum facit.

Nardus Indica quæ ostenditur, nihil aliud est quàm inanis quædã festuca, & dicitur, Aspic d'oultre mer.

Nardus Celtica, Aspic, Lauande.

Nasturtiũ κάρδαμον, Cresson alenois. Nasturtiũ autore Plinio, & Varrone, dicitur à torquẽdis naribus: κάρδαμον autem ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd multum

ualeat

ualeat in syncope cardiaca, uel quasi καρηδαμον, *quòd ui sua & acrimonia caput tentet.*

Nepeta, L'herbe au chat.

Nymphæa, Nenuphar ab Arabibus: nascitur in stagnis & paludibus gerens semen in calyce simili lucernæ æreæ.

Nux auellana, Corylus, Vng Couldre.

Nux iuglans, Vng Noyer.

Nux Græca, Amandier.

O

Ocymum, Baselic.

Ocimastrum, Ocimoides, uulgò Potularia, Iasia alba, Baselic sauuage.

Oenanthe, uulgò Filipēdula, dicta est Oenanthe, quòd cum uino floreat.

Alia est Oenāthe, Flos uitis syluestris.

Olea, Oliuier.

Olusatrum, Vide Hipposelinum.

Onobrychis, nomen retinet. significat ad uerbum Asini delicium.

 Ononis,

Ononis, Vide Anonis.

Onoſma, eſt ea Anchuſæ ſpecies, quæ eſt ſine folijs, & cuius radix rubet.

Ophioſcorodon, eſt Allium ſylueſtre, ut quod oſtenditur ex uitibus & pratis. Ad uerbum ſignificat Anguinum allium: in quibuſdam officinis dicitur, Vrſinum allium.

Orchis, Vide Satyrium.

Origanum, Mariolaine d'Angleterre, alij Mariolaine baſtarde. Sunt qui Satureiam ſemper uirentem referũt ad Origanum. Plinius uocat Cunilam capitatam.

Orbiculata mala, Pommes de capendus. Oryza, Ris.

Ornus, nomen Gallicum non habet: à quibuſdam dicitur Freſne campeſtre.

Orobãche, à ruſticis dicitur Tigne. Quidam Cuſcutam uocãt, uide Epithymum.

Orobus, uide Eruum.

Osyris, uulgò Linaria maior & minor.

Othōna, uidetur esse Memintha pharmacopolarum.

Oxalis, uide Lapathum.

Oxyacantha, in officinis Berberis: & uulgò, Espine vinette. ad uerbū significat Acutam spinā: Frutex Ribes Arabibus dictus huic est congener.

Oxytriphyllon, uulgò dicitur Panis cuculi: in officinis Acetosum triphyllon, & Alleluya dicitur.

P

PAliurus putatur à Ruellio, Aulbespine, sed falso. nam uidetur hic Paliurus allatus ex Italia acutißimis spinis.

Palma φοῖνιξ, Palme arbre portant les dattes.

Panaces, ad uerbum significat Valens aduersus omnes morbos: quod nomen, quanquā commune est Centaurio, Ligustico, Tithymallo, Origano, tamen pro-

prie

priè tribuitur Panaci. Non eſt ueriſimile plantam, quam Gallicè Panez dicimus, eſſe Panaces: tamen Panaces Aſclepium magnam habet ſimilitudinem cum noſtris Panacibus.

Panaces, Chironium ab Apulcio dicitur, Enula campana.

Panicum, Du panic, ὁ ἔλυμος.

Papauer ſatiuum, Du pauot.

Papauer erraticum, Rura uocãt Coquelicoz, ou Põceau. Papauer rhœas à Græcis dicitur, quòd flos uel leniſsima aura agitatus fluat. Papauer corniculatum, nomen retinet in officinis.

Papauer ſpumeũ, uidetur eſſe humile genus papaueris. Spumeum autem dicitur, autore Galeno, quòd totum album ſit, & ſpumeum.

Pardaliãches, uidetur eſſe Aconitum, quod officinæ Napellum uocãt: alijs uidetur uulgò dicta Luparia, uide Lycoctonum. Parietaria, uide Helxine.

Parthe

Partheniũ, eſt ambiguum apud Græcos: aliquando enim eſt Anthemis, Camomille: aliquando Mercurialis: aliquando Parietaria, ut Celſo & Gaſæ, qui muralem Partheniõ interpretantur: quibuſdam placet eſſe Matricariam, Eſpargoutte: alijs dicitur Cotula fœtida: hîc accipimus Parthenium, Eſpargoutte & Matricaire.

Paſtinaca hortẽſis, σταφυλῖνος κηπαῖος, Carrote. Sylueſtris σταφυλῖνος ἄγριος, nihil aliud eſt quam Daucus, Paſtenade.

Pentaphyllon, eſt Quinque foliũ illud maius: quod quidam Tormentillam aut Fragariam uocant: & reuera Pentaphylli deſcriptio apud Dioſcoridem cõuenit noſtræ Tormentillæ.

Pæonia, Piuoine, Roſe noſtre dame. Multum ualet mas præſertim aduerſus Epilepſiam.

Peplos, uulgò Reueille matin des vignes. In quibuſdam officinis dicitur Eſula

Eſula rotunda.

Pepo, eſt uox communis, qua intelliguntur fructus Autumnales dum maturuerunt tamẽ propriè eſt Pepon & Surpepon. Columella uocat Melopepones, quos Melones & Sucrinos uulgò uocamus.

Periclimenum, uulgò Caprifolium, Matriſylua, & Vinciboſcum.

Perſonata, Vide Lappa.

Perſicaria, à quibuſdam dicitur Curage: ſed noſtrum Curage eſt Crateogonum.

Petaſites, à Petaſo dicitur, quòd eius folio caput operiri non ſecus ac galero poßit Nomen retinet.

Petilius flos, poteſt eſſe noſtrum Oeuillet d'Inde.

Peucedanum, uulgò Fœniculum porcinum.

Phace, Vide Lenticula.

Phalangium, à nobis ignoratur.

Phaſio

Phasiolus, uide Smilax.

Phœnicobalanus, Dactylus maturatus in sole.

Philanthropos, uide Aparine.

Phillitis, aliis uocatur Rumex muralis, aliis Osmunda: uerisimilius est esse Linguam ceruinam.

Phu, Valeriane.

Picea, Pin communement moindre que le Pin, qui croist par les iardins.

Phlomus, Verbascũ, uulgò Thapsus barbatus, in quibusdam locis Galliæ dicitur Bouillon blanc.

Phlomis, Lychnitis, Thryallis, uulgò Candelaria, quòd ex ea fiant ellychnia.

Pinus, Pin.

Pinaster, Pin sauuage.

Piper, Poyure.

Piperitis, aliis Piper Indicum dicitur: aliis Cardamomi genus putatur.

Pyrethrum, uulgò Pes Alexandrinus.

Pirus,

Pirus, Poirier. ἄπιος: fructus ἄπιον, ὄγχνη, uel ὄχνη, quæ duo uocabula postrema significant potius syluestre Pirum, παρὰ τὸ ἄγχειν à strangulando.

Non habemus nomina Ceritijs, Calculosis, Lolianis, Lauinijs, Milesijs, Myrteis, Orbiculatis, & alijs innumeris, quæ apud Columellam sunt, respondentia pira: coacti autẽ sumus nomina à figura, sapore, & interdũ à loco fingere, Bõchrestiana, Mariana, Muscata, Bicipitia, Turbinatiora, Martiniana, Fmora, Bergamotia, Strangulanea.

Piromela, Pommes poires.

Pistacia, à pharmacopolis uocantur Phistici, Nicander uocat Psitacia. uisitur Pistatium in hortis D. Cardinalis Bellaij.

Pityusa Actuarij, uidetur esse Turbith, uel Turpetum Mesuæ. Turbith autẽ Serapionis & Mesuæ uidetur Tripoliũ. Dioscoridis, Turbith, quod est in officinis

Phar

Pharmacopolarum, uidetur esse radix unius Tithymallorum. Plantago ἀρνόγλωσσον, Lingua agni, Plantain.

Plantago minor, uulgò Lanceolata.

Arnoglossum officinarum, est plãtago ea, quæ habet folia rotundiora.

Platanus, Vng plat, De la plane. Sic appellata uidetur à foliorum latitudine, uisitur autem pulcherrima Platanus prope ædem D. Hilarij apud Pictauos.

Polemonia, à quibusdam putatur esse Ambrosia uulgaris, id est, Saluia syluestris, Saulge de bois. Hæc herba cognita est Cenomanis, pestifugã eam putantibus. Quibusdã placet dictã esse à certamine regum, de eius inuentione: alijs ex eo, quòd pugnet aduersus uenena.

Polygonatum mas, uulgò Sigillum Salomonis.

Polygonatum fœmina, Lilium cõuallium, Grand muguet.

Polygonon, Sanguinaria, uulgò Centinodi

tinodia. Dicitur hic, herba Sancti Innocentis.

Polypodium, folium habet Filicis. Dicitur autem Polypodium, quòd in radice multos cirros polypodum modo habeat.

Polium, Herbula in summo quandam caniciem semine plenam habēs. Affertur ad nos è Narbonensi Gallia: uocabatur autem à Romanis, autore Scribonio Largo, Tinearia. Sic appellatum est ab ea canicie quam in summo habet: πολιὰ enim caniciem significat.

Polytrichon, est Adiantum album.

Pomus, Pommier.

Poma Serica, siue Syrica Columellæ, & Galeni Zizipha, in Gallia Narbonensi Guindolas uocātur, Pharmacopolæ Iuiubas uocant. Poma petisia, possunt esse nostra poma Paradisiana.

Poma purpurea Columellæ, possunt esse nostra poma De rouueau.

Poma illa Manliana, Mariana, Clau-

diana

diana, Melappia, Appiana, Picena, Tiburtina, Amerina, Corinthiaca uix ſibi reſpondentia nomina habent.

Poma noſtra ſunt Capenduta, Ratelliana, Renetia Paßipoma, Paradißiana, Francetura & ſimilia.

Populus utraq; dicitur Gallico nomine Peuplier.

Portulaca, ἀνδράχνη, Pourpie, quaſi dicas Poullepied. Nam Serenus hanc plantam Pulli pedem appellat, quòd ea præſertim quæ in uineis naſcitur, figura pedem pulli gallinacei referat.

Poterium, ut deſcriptum eſt à Dioſcoride, uidetur eſſe noſtre Grozelier.

Praßium, uide Marrubium.

Prunus, Græcè Coccymelea, Prunier.

Prunus ſylueſtris, quem Spinũ Virgilius uocaſſe uidetur, Vng prunelier, ex cuius fructu noſtra fit acatia.

Pruna hordeacia antiquorũ, eſſe poſſunt, quæ nunc Cerea dicimus.

Pruna Asinina, nunc dicuntur, Des poitrons, ou Des dauesnes.

Pruna Armeniaca, Arbricoz.

Pruna Damascena, Preunes de damas.

Prunorum aliud est genus minus, quod à Græcis Myxon, & Myxarion dicitur, uulgus Pharmacopolarum uocat Sebestas.

Pruna iberica possunt esse, quæ Pertigona uulgò dicimus. Sunt alia nomina Prunorum uulgarium, Prunidactyla. Noberdiana, & Iuliana. Psyllion, Latinè Pulicaria, Herbe à pulces.

Ptarmice, Latinè Sternutamentaria: à quibusdã putatur Pyretrũ syluestre: alij contra omnes notas reclamare affirmãt. Sic autem dicta est, quòd eius folia trita sternutamenta moueant.

Pulegium montanũ & regale Pouliot.

Punica malus, Grenadier.

Quercus

Q

QVercus, δρῦς, Vn chesne. Existimatur etiã ueteribus dicta Hemeris, id est placida. Glandes autem produci, gallas item & uiscum, quod Galli Du guy appellant, Græcis autem ἰξὸς dicitur. Quinque folium, in officinis Pẽtaphyllon, quod non est aliud quàm Tormentilla nostra. Hoc nomine etiam censetur planta ea, quæ septem folia habet, ut placet Ruellio, leoniceno, & manardo. Galenus lib. v. Compos. Medicament. part. Eupatorium etiam quinque folia habere scribit.

R

RAdix, ῥάφανος, Raue & Raifort Celsus Radiculẽ Latinè dicit. Radix syluestris κέρα, apud Theophrastũ, Raue sauuage, quam quidã putant esse eam herbam, quam Sanue dicimus. Vide Armoracia. Cæterum ῥάφανος apud antiquiores Græcos pro Braßica etiam ac-

cipiebatur.

Radix dulcis, Glycyrrhiza, Ragaliſſe: Theophraſtus eam Radicem Scythicam uocat, quòd Scythæ in bello ea ſitim uitarent, atque ob id ἄδιψος dicebatur. Veteres uocabant Argalicũ, unde in quibuſdam locis nomen Gallicum manſit, Argalice. Galenus lib. 7. Medicament. part. γλυκεῖαν ſimpliciter appellat. Actuarius interdum γλυκύῤῥιζον.

Rhaponticum, uel Rheuponticũ. Radix Põtica à Celſo dicitur Galenus lib. 7. Compoſ. Medicament. part. uocat, ῥῆον ποντικόν. Actuarius nunc ῥέον ποντικὸν, nunc ῥέον βαρβαρικὸν, nunc ῥέον ἰνδικόν.

Radimea Struthiõ, uulgò herba fullonum, Saponaria fuit olim ita nota, ut non deſcribatur à Dioſcoride. Marcellus Struthion putat dici à folijs, quibus imitatur paſſeres & minores alias aues.

Ranunculi (βατράχιον Græci dicunt) multa illa genera nomen apud uulgus nõ

habent

habẽt,niſi quòd primum genus hîc à uulgò Des baſsins dicitur. Secundum genus in officinis Apium riſus,de quo uide Apium. Tertium,χρυσανθέμιον, id eſt flore aureo, naſcens ſyluis, apud uulgus nomen non habet.Quartum genus flore lacteo, etiam officinis eſt incognitum. Quintũ hortenſe ob pulchritudinem in coronamenta ueniens à quibuſdã Gallis. Bacilles doubles dicitur genus aliquod Batrachij globoſæ rotunditatis, & guſtus omnium accerrimi, quod quidam Lanceolam uocant.

Rapum, Rabe: uide Gongylis.

Rapum ſylueſtre putatur Ruellio, quod uulgò Reſponſes appellamus.

Rhus,Sumach Arabibus:interdũ Rhus culinarius à Galeno dicitur, quòd multũ ualeat ad condienda iuſcula, frequens eſt in Gallia Narbonenſi. Quidam faciunt duo genera quorũ alterum dicitur Rhus magiricus,quo quoqui utebantur ad con-

dienda obſonia, alterũ, quo utebantur coriarij ad denſanda coria, ob id Rhus byrſodepſicus dicitur.

Ricinus, uulgò Palma Christi, Itali uocant Gyraſole: eius ſemen uocarunt κρότωνα, quòd ſimile ſit uermi canibus inhærenti, qui Gallicè dicitur Vne tique.

Rhododendron, uulgò Roſago, quòd florem roſæ ſimilem habeat.

Roſmarinus, Romarin. Eius ſemen dicitur Cachrys.

Rubus, Ronce, βάτος, cuius hæ ſunt ſpecies.

¡Cynoſbatos, id eſt, Rubus caninus, ſic dictus, quòd eius flores canum morſibus medeantur: eſt autem ſpinis hamatis, & altus, fructum fert longum, rubrum, ſimilem oliuæ nucleo, intus uerò lanuginoſa habet ſemina, Eſglantier ſans odeur: à Gallis dicitur, quòd eius roſæ ſine odore ſint.

Cynoſrhodos, Roſa canina, cuius roſa

eſt

est nunc alba,nūc purpurea,nūc utriusq; media,& odora,Gallicè, Esglãtier de bon odeur : & Rosæ Damascenæ appellantur,Roses de Damas.

Chamæbatus,id est,Humilis rubus interdū βάτος simpliciter à Galeno dictus, fert mora racematim nascentia, per maturitatem nigerrima , βάτινα Galeno dicta.

Rubus Ideus, Frãboisier. Arbuscula quæ fert fraga:potest Rubus Idæus humilis appellari.

Rumex,uide Lapathum.

Ruscum,est syluestris Myrtus, quæ quibusdam dicitur Oxymyrsine, ex qua facimus scopas illas,Houssouers uulgò dictas.Scribonius Largus uocat Scopam regiam.

Ruta,πήγανον,de la Rue.

S

SAbina,Sauinire.

Sambucus,uide Acte.

Sagapenum, à Pharmacopolis, dicitur Serapinum. Galenus in Antidotis, ὀπὸν σαγαπηνὸν uocat. Frutex ferulaceus, ex quo is ſuccus fluit, deſcribitur autẽ à Galeno lib. 8. Simplic.

Salix, du Saulx.

Saluia, Saulge.

Sampſucus, Maiorana, Mariolaine.

Sanguinaria, uide Polygonum.

Satyrium, uide Cynoſorchis.

Satureia Thymbra, Sarriete.

Scabioſa, non eſt Stœbe antiquorum: quidam uolunt Scabioſam eſſe Pſoram Aetij.

Scamonia, uide Dacrydion.

Scandix putatur eſſe herba ea, quæ uulgò Acicula, & Pecten Veneris dicitur. Notiſsima olim omnibus Græcis fuit, quæ toties Athenis in Theatro riſum & plauſum excitauit.

Scilla, uulgò Scipoulle ou Charpentaire: Pharmacopolæ Squillam uocant.

Scolymos, Artichault. Dioſcorides tamen ſeparat Scolymon à Cinara.

Scordion, Latinè Trixago, ſeu Chamædris paluſtris, uulgò dicitur Chamara. Herbula eſt uirgulas mittens quadratas, rectas, oblongas folia adſtringentia, florē rubicūdum. Scordiū dictum eſt ab odore & acrimonia Scorodi, id eſt, Allij.

Scorodon, Allium, Aulx. Syluestre Allium dicitur ὀφιοσκόροδον.

Scorodopraſum, quaſi dicas, Allium porrinum. Nam Porrum & Allium.

Secale, Secalis, Segle. Sedum, uide Aeizoon. Seris cichoreum, uide Cichoreum, & Intybus. Serpillum, ἕρπυλλον, Serpolet. Dictum eſt in utraq; lingua à Serpendo. Seſamon, σήσαμον, planta eſt ſimilis Milio, & habet ſemen ſimile Orizæ. Italia olim erat fœcūda Seſamo, ſed quia emaciabat agros, deſitum eſt ſeri, uulgò dicitur Iuriolena.

Seſeli Maßilienſe, habet folia fœniculi,

culi, sed craßiora, & umbellam Anethi, Saxifraga dicitur. Allobroges uocăt Ser montain.

Sitanion, species tritici trimestris, quod seritur Martio, & metitur mense Iunio: huius autem meminit Hippocrates in lib. de Fracturis.

Sycaminus, ἡ μορέα, Morus arbor.

Sideritis, herba Iudaica uulgò, & Tetraic. uidetur sic appellata, quòd glutinet uulnera ferro facta. Siligo, antiquis erat primarium triticum, uidetur etiamnum in Gallia Narbonensi spica erecta, & uulgò dicitur Touzelle.

Siliqua, arbor κεράτιον, Carrubier: fructus autem Carrubes: in Gallia Narbonensi.

Siliquastrum, Piperitis, quæ quibusdă dicitur Piper Indicum: alijs Placet esse Cardamomi genus. Silphiũ, Beniouin.

Symphytum petræũ, uulgò Buglæ, Symphytum minus, Belides, Mar-

gueri

guerites.

Sinapi, Seneue, & moustarde.

Sion, *Lauer*, *uulgò* *Berula*, De la Berle. *Sisymbrum*, *aliud dicitur Mentha aquatica*, *quæ plātata mitescit*, & *dicitur Balsamita : aliud est nostra Cardamine*, Cresson des ruisseaulx.

Smilax, *Taxus*, If: *hāc abieti similem scribit Nicander in Theriacis.*

Smilax aspera, *foliorum ambitu spinoso in Gallia Narbonensi uisitur.*

Smilax leuis, Liset & Liseron, *à ligandis plantis quibus adnascitur.*

Smilax hortensis, *officinis Phaseoli*: *Galli* Phaseoles & Febues painctes.

Smyrnium, Leuesche, *dictum est*, ἀπὸ τῆς σμύρνης, *id est*, *à Myrrha quam olet.*

Solanum, De la morelle.

Solanum Manicum, *quod furorē & insaniam excitat.*

Solanum somniferum Pharmacopolæ & her

& herbarij Solatrum dormitoriū uocāt.

Sonchus uterque, Candicans & ἐδώ=διμος, & alter τραχὺς & niger, uulgò Palatum leporis, Letteron, quo nutriuntur cuniculi, dicitur.

Sorbus, ὄα uel ὄη, Cormier. Sorbum est ipse fructus, La corme, alij sorbes & sorbier uocant.

Sparganiū ostenditur, quod licet quidam Tormentillam uocent, tamen non est uulgaris Tormētilla. Dictum est autem, quòd habeat folium simile his cingulis, quibus in cunis infantes ligamus: τὰ σπάργανα enim sunt fasciæ.

Sphondylium, uel Spondylium, ostenditur simile Pastinacæ. Meminit huius herbæ Nicander in generali Theriace, quam aduersus uenenata omnia conficit. Nomen habet à uertebris, uel uerticilis fusorum.

Stachys, Saluia mollis, Saruia montana, Saluia rustica uulgò dicitur: uox significat

ficat Spicam. In officinis quibuſdam dicitur Pituitaria, quòd eius ſemen manſum, pituitam ex capite in os deducat: porrò illitum ex oleo capiti puerorum, pediculos enecat, unde à quibuſdã appellatur herba Pedicularis.

Staphys agria, nomen retinet: uox ſignificat Vuam paſſam agreſtem.

Stœchas, dicitur Stœchas citri à pharmacopolis: dicta eſt autẽ à Stœchadibus inſulis in mari Iberico.

Stratiotes naſcitur in aquis, nomen ſignificat militarem.

T

TAmarix, uide Myrica: fiunt ex Tamarice cymbia, ex quibus potãt, qui laborant aliquo affectu melancholico. Pharmacopolæ abutuntur radice Thamariſci pro Caßia.

Thapſia, nomen retinet: ab antiquis Latinis Ferulago dicebatur. Nomẽ id habet, quòd in Thapſo inſula primum inuenta

uenta sit. nascitur in Apennino, ubi Crassegnana dicitur.

Taxus, Smilax: uide Smilax.

Teda, pinguior ramus Piceæ: Græcè δᾲς καὶ δᾳδίον, aliquãdo tamen pro arboris specie accipitur.

Telephium, uulgò Faba inuersa, Orpin, alijs Fabula maior dicitur, & Portulaca agrestis: uidetur sic dictum, quòd uulneribus, quibus rex Mysiæ Telephus consenuit, uulneratus ab Achille, auxilietur.

Terebinthus, τέρμινθος. Terebintha ea arbor nunc uidetur in hortis D. Cardinalis Bellaij ad ædem D. Virginis Parisiẽsis: ex ea aũt fluit resina, quæ Terebinthina Veneta dicitur, pro qua utũtur nostri pharmacopolæ Resina laricea.

Teucriũ, nomen retinet: & ostẽditur ab herbarijs. Nomen autẽ accepit à Teucro Aiacis fratre inuẽtore, ut Plinius autor est. A' quibusdã dicitur Chamedrys, quòd

quòd ei plantæ similis sit: hæc etiam uulneraria est, uino incocta.

Thalietrum, ab herbarijs putatur ea esse, quæ super muros nascitur, uulgò Argentaria dicta.

Thymelæa, Oliuella quibusdã, & Linum syluestre dicitur. Sunt qui credunt Thymelæam Dioscoridis, uerum Mezereon Mesué.

Thymbra, Satureia, Sarriette.

Thymus, du Thym.

Thlaspi, uulgò Nasturtium tectorũ, & Sinapi rusticorum. Nomen habet à θλάσαι, quod est frãgere, quòd semen Nasturtij simile disci figura, & uelut ἐντεθλασμένον, id est infractum habeat.

Thryallis, est tertia species Phlomidis, id est parui Verbasci, quæ dicitur Thryallis, & Lichnitis, quòd eius folia crassa, & pinguia, ad lucernas sint apta.

Tillia, du Tillet.

Typha, ab alijs dicitur des Masches: alij uocant Massas, alij Machas.

Tithymalus, ab antiquis dicitur: Lactuca marina: Galli, Herbe à laict. Primus Tithymalus Dioſcoridis eſt χαρακίας, quòd uallis muniendis aptus ſit, qui etiam Amygdaloeides dicitur. Secundus Myrtites à folijs Myrti. Tertius Paralius, id eſt, naſcens in locis maritimis. Quartus Helioſcopius, quòd eius coma ad ſolis curſum circumagatur. Quintus Cypariſsias à folijs Cupreſsi. Sextus Dĕdroeides, id eſt arboreſcens, á ramorum copia. Septimus Platyphyllos, à foliorũ latitudine, quem Galenus φλόμῳ προσεοικότα dicit, id eſt Verbaſco ſimilem.

Tragopogon, Latinè Barba hirci: eſt autem ea planta, quæ ab Italis Barba dipreti dicitur. Quæ uerò oſtenditur pro Tragopogone eſt uerius Gerontopogon. Theophraſtus deſcribit aliũ Tragopogona, lege eum.

Tragoriganum, Ruellius eam herbã putat eſſe, quæ uulgò Maſtic dicitur.

Tragos, quibuſdam putatur eſſe Triticum

ticum barbatum.

Tribulus, τρίβολος, aquaticus præſertim, uulgò uocatur Chauſſe trape, apud Pictonas dicitur Marre. In Campania Saligoz. Herba eſt naſcens in ſtagnis & paludibus folio ulmi, ſemine nucis magnitudine, duro & multum aculeato, cuius nucleus non minus quàm caſtanea eſculentus eſt.

Trichomanes, eſt Adiantum nigrum.

Trifolium, τρίφυλλον, Trefle. Oxytriphyllon quibuſdam putatur ea herba acida, quæ uulgò Alleluya dicitur.

Tripolium, ſunt qui putant eſſe Turbith Serapionis. Tripolium autem ex eo dictum eſt, quòd eius folia terdie mutentur, Candida mane, Purpurea meridie, Punicea in occaſu, uide Pityuſa.

Triſſago, lege Chamædrys, quæ uulgò Serratula, Quercula, Quercus terræ dicitur.

Triticum, in quibuſdam locis dicitur Blé, in alijs Fourment.

Tuber, Trufle, ὕδνον Græcè dicitur quasi οἴδνον, ut scribit Hermolaus, à uerbo οἰδαίνω, id est tumeo, Simeon Zethus scribit eorum usu frequenti Epillepsiam & Apoplexiam effici. Credidit antiquitas illi affinitatem esse cum cœlo, nec nisi tonante Ioue nasci, ut Iuuenalis scribit, & facient optata tonitrua cœnas.

Tussilago, uide Bechion.

V

VAleriana, Græcè Phu, Valeriane

Veratrum, uide Elleborus.

Verbascum, uide Phlomus. Verbenaca, Græcè Peristereon, Veruaine.

Viburnum, Vide ἄμπελος μέλαινα.

Vicia. Vesse. Varro eam dictam putat à uinciendo, quòd capreolos similiter uiti habeat.

Vicia syluestris, est ea quæ dicitur Aphace, Vesse sauuage.

Vetonica, Vide Betonica.

Vinca peruinca, Clematis daphnoides, Peruanche.

Viola præsertim alba, est propriè ea quam uulgus Giroflée appellat, Vide Leucoion. Viscum, Du Guy.

Vitex, Vide Agnus castus.

Vmbilicus Veneris, Græcè Cotyledon. Primæ speciei huius plantæ frequẽti usu marem concipi, quemadmodum secundæ speciei fœminam, Hippocrates scribit.

Vlmus, Orme, πτελέα.

Vnedo, Arbutus, arbor est & fructus, quam Cerasium marinũ coriarij in Italia appellãt. Dicitur autem Vnedo, quòd unum tantum comedere liceat: magnum enim dolorem capiti infert. uide Chamæcerasus. Vnio antiquis Cepa erat, unde Gallicum nomen, Oignon.

Vrtica, Ortie.

Vrtica mortua quæ non pungit, Plinio Lamium dicitur. Vrticarum syluestrum acrior dicitur Cania.

Vrtica quæ dicitur Griesche, nomẽ accepit à uoce Græca ἄγριος. Vrtica autem ab urendo dicta est, ἀκαλήφη uerò

Græcè, quaſi μὴ ἔχουσαν ἀσφαλῆ ἁφὴν, quam non ſit tutum attingere.

X

XAnthiũ, Lappa, φιλάνθρωπος herba, quæ fert Des gratterons tenans aux robes.

Xiphion, Latinè Gladiolus, uulgò Spata ſegetalis, L'eſpée des bledz. Plinius confundit aliquando Xiphion cum Cypero.

Z

ZEa, Spelta, Peaulte: laudatur multum ab Homero qui aruum ζείδωρον paßim appellat.

Zytho antiquorum reſpondet noſtra Bieria.

DE NOMINIBVS PISCIVM EX Latinis & Græcis autoribus, cum Gallica eorum appellatione.

A



Asellus maior, Græcè ὄνος, minor, ὀνίσκος dicitur, Merlus. Varro hunc piscem ab asini colore sic dictum scribit. Est autem febri laborantibus non minus saluber, ut Galenus ait, quam quilibet alius saxatilis piscis.

Anguilla, ἔγχελυς, Anguille. Anguillam Varro dictam putat, quòd angui similis sit.

Acus, ἡ βελόνη, uel ἡ ῥαφὶς Aiguille. Collum habet gruis uel ciconiæ similitudine, colorem uero argenteum.

Aurata uel Orata, ὁ χρυσόφρυς: in Aquitania, Daurade. Sic autē dicta est, quod

(ut ait Ouidius in Halieuticis) auri decus imitetur. Inter Auratas uenditur nunc Zaphyrus piſcis, à colore Cyaneo dictus, ſapidiſſimus, qui fortaſſe fuit Scarus antiquorum.

Aloſa, uel Alauſa, Aloſe. hoc nomine Gaza τὴν θρίσσαν piſcem, apud Ariſtotelem, exprimit. Hic piſcis in Aquitania tam frequēs eſt, ut rectè plebis obſonium Auſonius dixerit. Appellatur autē præſertim maior, Burdigalæ, Coulac: minor uerò, Gathe.

Alburnus, uidetur piſcis quem uulgò Able dicimus, qui, ut Auſonius ait, præda eſt puerilibus hamis.

Ἀμίαν ex eo cōijci[illegible] licet noſtrā eſſe Truttam, quòd quæ pugna eſt Truttarum cum Delphino apud Aelianum, eadem eſt cum ea, quam Oppianus Amiarum cum Delphino pulcherrime uerſibus explicat. Adde quòd ἀμίαν piſcē εὔχυλον, id eſt boni ſucci, Hiceſius apud Athenæum ſcribit. quod ipſum noſtræ

Truttæ

Truttæ conuenit. Ἀμίαι autem dicuntur ὅτι οὐ κατὰ μίαν φοιτῶσιν, ἀλλ᾽ ἀγεληδὸν, id eſt, quòd non ſolæ, ſed gregatim uiuant.

Apua uel Aplua (ut Gaza uertit) ἡ ἀφύη, piſcis eſt ex pluuia, uel (ut Aelianus ait) ex limo natus, qui à quibuſdã putatur eſſe is piſcis, quem uulgus Merlandũ appellat. Dicitur παρὰ τὸ μὴ εἰς μέγεθος φύεσθαι: uel ὅτι μὴ πεφυκυῖα, id eſt quòd non creſcat in magnitudinẽ, uel quòd ex alio nata non ſit. Nam qui Nicæam incolunt, Non natam etiam nunc appellant.

B

BAlena, ἡ φάλαινα, Balene.

C

CYprinus, κύπρινος, uel (ut eſt apud Athenæũ) κυπρίανος, Carpe. Dorion autem apud eum autorẽ, λεπιδωτὸν, id eſt, ſquammoſum appellat.

Congrus, uel Conger, γόγγρος, Congre. Galenus hunc piſcem duræ carnis eſſe ſcribit, & quæ uix confici poßit. in hiſpania ſalitus, cum ciceribus elixus ædi

ſolet.

Cuculus, κόκκυξ, Cocu: à Maßilienſibus Gallina dicitur, à Neapolitanis Cœchus, à Siculis Cochus. Piſcis is irretitus uocem cuculi auis ſimilem edit. Vnde nomen inuenit. Numenius apud Athenæum hunc ἐρυθρὸν appellat, id eſt rubrum: quæ appellatio conuenit piſci, qui pro cuculo oſtenditur.

Crocodilus, ὁ κροκόδειλος, Crocodile. κλοκόδειλος autem dicitur παρὰ τὸ δειλὸς, καὶ τὸ κρόκος: nam Crocodilus præſertim terreſtris, crocũ refugit. Ob id mellis confectores, dum timent alueis à Crocodilis, crocum illinunt, uel παρὰ τὸ δειλαίνεσθαι τοὺς κροκάλος, id eſt à timendis littoribus maris. Nam marinus Crocodilus in littore maximè meticuloſius eſt.

Citharus, à quibuſdam doctis hominibus putatur eſſe noſtra Rouſſeta. Quòd autem is piſcis Rhombo ſimilis dicatur, id ad carnem potius, quàm ad formam referendum eſt.

Capito,

Capito, ὁ κέφαλος, piſcis è Mugilum genere, Teſtart. Romæ Cephalo dicitur. Galenus optimum eſſe ſcribit qui in puriſsimo mari uerſatur. Plura de hoc piſce Hiceſius apud Athenæum libr. 9. Dipnoſophiſt.

Cancer, ὁ καρκῖνος, Plinio eſt commune nomen, quo ὀστρακόδερμα comprehenduntur. Ariſtoteles tamen eos cancros tantum uocat, quibus corpus eſt rotundum. Cancer eſt etiã ſpecies ὀστρακοδέρμων. Galli uocant des Crabes. Galenus ſcribit Aſtacos, Paguros, Cancros, Locuſtas, Caridas & Gammaros dura carne conſtare, atque ob id difficillimè confici. ſed firmi alimenti eſſe.

Cete, τὰ κήτη, apud Ariſtotelem, ſunt omnes piſces maximi uiuipari. Paulus Aegineta tamen Thunnum ouiparum inter Cete numerat.

Cochlea terreſtris ὁ κοχλίας, Limaſſon, Eſcargot, Cochlea aquatilis alio nomine Turbo, ὁ στρόμβος, Limas de mer.

Dicitur

Dicitur autem Turbo, quòd ex amplo in tenue deſinat, in uertiginē tortus. Heſiodus κοχλίαν φερέοικον, id eſt Domiportam uocat. Plinius ſcribit Hirpinum inſtituiſſe uiuaria cochlearum, cochleáſque altiles ad eam magnitudinem perductas, ut ſingularum calices octoginta quadrantes caperent. Carne, ut Galenus ait, dura ſunt, & ob id concoctu difficili.

Colias, uel Parianus Plinio, Lacertorum minimus: Coguiol corruptè ab his, qui Nicæam incolunt dicitur.

Delphinus, uel Delphin, ὁ δέλφις, Daulphin, numeratur inter cete, ut qui animal pariat. hūc piſcem maximè φιλάνθρωπον eſſe Ariſtoteles & Aelianus ſcribunt, Simoniſque appellatione ita gaudere, ut hoc tanquam illicio ductus, appellantes ſequatur, à piſcatoribus fide dignis auditum eſt.

Digiti, ὁ δάκτυλοι ex genere teſta obductorum ab Adriatici ſinus incolis Cap

pæ

pæ longæ dicuntur. Ex eo autem Digiti appellantur, quòd speciem humani digiti gerant. Vngues etiã dicuntur, quòd eorum testa unguibus sit similis. Apuli hos pisces Imbrices appellant, quòd eorum testæ imbricibus similes sint. Appellantur alio nomine à Galeno & Athenæo σωλῆνες, αὐλοὶ, & δόνακες: lege Athenæum libr. 2. Dipnosophist. Galenus scribit dura carne esse, & ob id δυσπέπτους.

Draco, ὁ δράκων, à multis creditur is piscis, qui Viua uulgò dicitur, quem Galenus Philotimi sententiam probans, inter pisces duræ carnis reponit.

E

ECHINUS, ὁ ἐχῖνος orbiculatus ex genere testa obductorũ, undique aculeis armatur, quibus pro pedibus ad ingrediendum utitur. Ericius à Maßiliensibus dicitur.

G

GOBIO, Gobius, Cobio, ὁ κωβιὸς, Gouion, concuctu facilis, & optimi

optimi ſucci eſt. Hiceſius tamen apud Athenæum ὁ λιγοτρόφους καὶ κακοχύμους eſſe ſcribit: quod meo quidem iudicio, intelligendum eſt de his, qui in oſtijs fluminũ uerſantur. Vide huius piſcis deſcriptionem apud Auſonium in Moſella.

Gammarus, ἀστακὸς, Eſcreuiſſe de mer. Maßiliæ adhuc Græcum nomen retinet.

Gladius, ὁ ξιφίας, à Maßilienſibus piſcis Imperator dicitur, quòd gladium ſimiliter Imperatori picto gerat.

H

HIppocampus, à Liguribus & Maſſilienſibus Cabalus marinus dicitur. Capite eſt oblongo, & collo equino, roſtroq; oblõgo, à cuius fronte tanquam iuba quædam propendet.

Hirundo, χελιδών, à piſcatoribus Maßiliæ Lendola dicitur. Viſus eſt hîc piſcis à uiris fide dignis quatuor cubitis extra ſummam aquam à lapidis iactum uolare.

I

ICthyocolla, piscis cuius corium glutinosum est, quod ipsa nominis ratio ostendit, Molue.

Iecorarius, ἥπατος à quibusdam doctis hominibus creditur esse nostre Aigrefin, quem Galenus inter molli carne pisces, & εὐπέπτους reponit.

L

LAmpetra, eadem est cum Mustela, quæ Græcè γάλη dicitur. Est autem piscis lõgus, tenuis, & lubricus, sine pinnis, murenæ similis, colore nigricans, brãchijs detectis instar foraminum, quæ septem utrinq; habet, Lamproye. Vide Ausonium in Mosella.

Loligo, ἡ τευθὶς similis est Sepiæ, nisi quòd aliquanto longior est, quàm Sepia, & quòd illa rubrũ, hæc nigrũ in timore liquorem fundat. Dicitur hodie Calamariũ, & à Maßiliensibus Græcã uocem retinentibus Tautte appellatur. Calamarium autẽ dicitur, uel quòd scriptorij,

calami

calami similitudinē gerat, uel quòd atramentum habeat. Hic piscis & si tangenti mollis est, carne tamē (ut Galenus ait) dura est, & ad conficiendum difficili.

Lucius ab incolis Ligeris & Sequanæ Brochet dicitur. Piscis est omnium medicorum iudicio εὔπεπτος, & optimi succi. Olim tamen in nullo pretio erat, ut legere apud Ausonium licet, sed non modo mores, sed & palatum mutauimus commendatur Lugduni, qui in Rhodano piscatur.

Lupus, ὁ λάβραξ doctis quibusdam hominibus uidetur esse noster uulgaris, Mulus. Huius piscis descriptiónem lege apud Plinium, Ausonium, Iouiū, & Massariū. λάβραξ autem ἀπὸ τῆς λαβρότητος, id est ab impetu & uoracitate dicitur. Nam aliorum pisciū maxima uorago est. Aristophanes apud Athenæum hunc piscem φρονιμώτατον appellat, quòd (ut ego quidem arbitror) mira arte ex hamo elabatur.

Lutra, uel Lutris, ἐνυδρίς, vne Loutre.

M

MYtuli, μύες, Moules. Celſus uocat Muſculos, quorum iure aluus citari commode poteſt. Diphilus apud Athenæum paruos mytulos omniũ optimos & ſaluberrimos eſſe ſcribit.

Mulus, ἡ τρίγλα à colore muleorũ calceorum apud Latinos dictus eſt, quibus purpurei coloris primo reges Albani, poſt Patricij uſi ſunt. Doctis quibuſdam hominibus is piſcis eſſe creditur, quem uulgò Rouget dicimus, uel potius Sur meueillet, Nobilitatus eſt autem hîc piſcis à Cicerone, qui eum Barbatulũ uocauit. Gemina enim barba inferius eius labrum ornatur. Dicitur autem hîc piſcis etianum in Græcia Trigla. Ligures & Maßilienſes corruptè Trigam uocant. Qui Niceam incolunt Strilham, Caro huius piſcis durißima eſt, & maximè friabilis, nutritq; copioſißimè, quum bene concocta fuerit. Celſus tamen inter

duros & teneros pisces medium facit. Cæterum Triglæ dicuntur, quòd (ut ait Oppianus) τριγόνοισι ἐπώνυμοι εἰσὶ γονεῦσι. Id est (Lippio interprete) Accipiũt Triglæ trino cognomina partu. Nam ut ait Aristoteles lib. 5. de Historia animaliũ, ter anno pariunt. Alij ex eo Triglas dictas credunt, quòd triformi Dianæ dicatæ sint.

Mænæ, αἱ μαινίδες, Massario putantur haleculæ, qualis fortasse est noster Celerinus.

Murena, μύραινα, uel Dorico more σμύραινα, alia colore subnigro, luteis maculis distincto est, alia albo, nigris macularis uario, oris rictu, nõ aliter quàm anseres, largißimo: foraminibúsque his caret, quibus Lampetra prædita est: nulláſque habet neque branchias, neq; pinnas. Integra flexuoso corporis impulsu natat: in arido etiam similiter atque serpentes serpit. Dentibus malefica est, atq; carniuora. Proinde Vedius Pollio eques Romanus

nus nouæ huius sæuitiæ perscrutator, ser uos ad mortem damnatos, non ad feras, sed in murenarum uiuaria proijciebat.

Optimæ ex hoc genere sunt quæ Flutæ, à Grecis πλωταὶ, quasi nauigabiles dicuntur, quòd in summa aqua fluitantes, mergi non poßint. Piscis hic in uiuarijs Romæ altilis fuit, & Crassus altilem murenam adamauit. Antonia Drusi etiã sic in delicijs murenam habuit, ut gemmatas innaures ei addiderit.

Murena fluuiatilis omnino nostræ Lampetræ similis est: & à quibusdam Galeos dicitur. Athenæus Andreæ cuiusdam autoritate affirmat falsum esse Murenas cum uiperis coire. Porrò Murenarũ carnes non minus nutriunt, quàm anguillarum & congrorum, ut Hicesius affirmat uerum propter duriciẽ quẽdam innatam, & humorẽ tenacẽ difficillimè concoquuntur. Earum lactes multũ commendatur, quibus Heliogabalus (ut lam=

pridius refert) omnem aulā & rusticos aliquando pauit.

N

NAtex, νηρίτη, coclea marina magnitudine exigua, turbinati generis, læui testa, ampla, & rotunda: ab incolis sinus Adriatici etiam nunc Nerite dicitur. Hispani uocant Caragolum, Petit Limasson de mer.

O

ORata, Vide Aurata.

Ostrea, ostreæ, uel ostreum, τὰ ὄστρεα, Ouitres, concharum generis nobilißima, testam scabrā habent, inter lautißimos cibos recepta. Ea quum Romanares magnitudinis & luxuriæ fastigiū teneret, Brundusio in Lucrinū lacū trāsferebantur, ubi mirificè pinguescebant. Vnde Martialis. Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino. Fuerúntque adeò in honore ipsis gulæ proceribus, ut in remotißimas à mari regiones ligneis lacubus apportarētur. Galenus Ostrea inter alia testa

teſtace carnem habere molliſsimã ſcribit, aluumq́; ualentius ſubducere, & corpus imbecillius nutrire. Plura de his Mnesitheus apud Athenæũ libro tertio Dipnoſophiſtarum.

Paguri, πάγουροι, ex cancrorum genere, dorſo aliquando læuiore, quàm cæteri cãcri, forpicibus ita magnis ſunt, ut quicquid corripuerint uehementer conſtringãt. hi dum coquuntur partim ruſeſcunt, partim nigreſcunt. Veneti eos Porros uocant, Maſsilienſes Carabaſos.

Paſſer, ἡ ψῆττα, Græcis nomen eſt commune, quo Rhombum, Soleam, & qui nomine generis Paſſer dicitur, comprehendunt. Nam Rhombus & Paſſer ſolo corporis ſitu differunt. Si enim Rhombum ſic in latus componas, ut oculi cælum ſuſpiciant, & mentum deorſum uerſus ſpectet, pars ſuſpina erit dextra: ſed ſi ſimiliter Paſſerem conſtituas, ſupina pars erit læua. Rhombus igitur eſt Paſſeri ſimilis, ſed amplior. Paſſer

uerò doctis quibusdam hominibus nostra Pleza est. Nam hîc piscis supina parte candidus, & prona nigricans, similiter passeri aui est. Alijs putatur esse Barbua nostra, quam Rhombi fœminam quidam coqui appellant. Piscis hîc mollem carnem habet, & quæ confici facile potest.

Pastinaca, ἡ τρυγὼν, Planus & cartilagineus piscis, à Liguribus Ferrasa, à Maßiliensibus Glorimus, à Siculis Bastonaca. Monspessuli, de la Glorieuse dicitur. Gerit hîc piscis in cauda, quo nihil pestilentius mare generat. Carnem habet molem ac iucundam, nec concoctu difficilem.

Pectines, οἱ κτένες, Petoncles, sunt ex genere testaceorum, quæ sanguine carent, noménque ex eo habent, quòd striati, pectinatimq́;, & rugis quibusdam diuisi sint. Huius generis quidam conchas eas arbitrantur, quæ à uulgo conchæ Sancti Iacobi dicuntur. Quòd

autem

autem ab Aristotele pisces hi uolare di-
cuntur, id ita accipiendum scribit Massa-
rius, ut intelligas eos uelociter se moue-
re & ueluti se eiaculari. Eorum ius, ut
omnium ferè concharum, admouendam
aluum confert. Tu uerò plura de hac
re apud Athenæum libro tertio. Dip-
nosophist. lege.

Pelamides, αἱ πηλαμίδες, parui Thun-
ni, Des petis thons. Dictæ autē sunt
Pelamides, quòd in luto uersentur. Pisces
hos non esse tam dura carne, quàm maio-
res Thunnos Galenus ait, & si sale con-
diantur, laudatißimis non cedere. Quod
ipsum scribit Athenæus libro. 8. Dipno-
sophist.

Perca, ἡ πέρκη, Perche. Alia mari-
na est, alia fluuiatilis. Marinam tertio lo
co inter saxatiles Galenus reponit.

Phoca, φώκη, Vitulus marinus, Veau
de mer, ex genere cetaceorū, ob id car-
nem duram habet, & excrementitiam.

Polypus, ὁ πολύπους, Pupe, à multi-

tudine pedum nomē inuenit, ex mollium genere est, pedibus octonis constans, per quos acetabula quædam dispersa habet, quibus quod apprehēderit, ita retinet ut diuelli nequeat, adeò ut hominem in terram deijciat. Describitur hîc piscis diligentißimè ab Aristotele libro 4. de Historia animaliū, qui locus citatur ab Athenæo libro septimo Dipnosophist. ubi de Polypi natura multa scribit. Cæterum & si ex mollibus est piscibus, tamen (ut Galenus ait) duram carnem habet, & concoctu difficilem.

Raia mas, ὁ βάτος, uel, ἡ βατὶς, vne Raye. Dicitur autem βάτος, quòd caudā spinis horrentem habeat, βάτος enim sentem significat. Piscis hîc, ut cartilaginea omnia, carnem mollem & concoctu facilem hebet.

Rhombus, vng Turbot, nomina Passeris ab Aristotele comprehenditur: Rhombus autem uox Græca est, significans propriè figuram quadratam solidā,

cuius

cuius latera ſunt æqualia, anguli uerò omnes obliqui.ad quam figuram piſcis hîc effictus eſt. Cæterum mulieres uenefi cas ad lunam deducendam Rhombo uſas eſſe ex Martiale conijcere licet.

Quæ nunc Theſſalico Lunã deducere Rhombo.

S

SAlar Auſonæ ſine dubitatione eſt uul garis noſtra Trutta, huic piſci tergus guttis purpureis diſtinctum eſt. Lege Auſonium in Moſella.

Salmo, Saulmon, piſcis fluuiatilis, ſquammoſus, carne interius rubra.

Salpa, ἡ σάλπη, Stocfix. De huius piſcis natura lege librum quintum de Hictoria animaliũ Ariſtotelis, & Athenæum libro ſeptimo Dipnoſophiſtarum.

Sarda, & Sardinas ex hoc dictas Galenus putat, quòd ex Sardina importentur. Theodorus his uocibus Græca no mina τριχίδας & τριχίας apud Ariſto-

telem exprimit. Nos uulgò Sardines, Ançhois, & Sardes, appellamus in mari mediterraneo copiosæ sunt, sed ab incolis nõ mediocris differentia constituitur inter Sardes & Ançhois.

Scombrus, ὁ σκόμβρος, ex genere lacertorium à Liguribus & Neapolitanis dicitur Lacertus, à Maßiliensibus Auriolus, Parisienses uocant Macareum. Hicesius apud Athenæum piscem hunc εὔχυλον, id est boni succi, plurimumq; alere scribit.

Sepia, ἡ σηπία, Seche. De huius piscis natura multa iã dicta sunt in dictione Lolligo.

Solea, βούγλωσσον, Lingulaca à Varrone, Solle: piscis planis similis Passeri, carnem mollem & confectu facillimam habet.

Sturio, uox est à uulgò excogitata ad significandum magnũ illum piscem, Gallicè Esturgeon, omnium lautißimum, Burdigalæ frequẽtißimus est, ubi Creac

dicitur, quòd (ut ego quidē arbitror) eius caro quadrupedis carnem uerius referat, quàm piscis. Paulus Iouius putat esse antiquorū Silurū, cui reclamat Massarius. Tu uerò eorum commentarios lege.

T

TEstudo, ἡ χελώνη, Tortue, ex eorum genere, quæ ὀστρακόδερμα dicūtur, & oua pariunt.

Testudo aquatilis, Mus marinus à Plinio dicitur.

Testudo terrectris, Mus terrestris dicitur. Aristoteles testudines in aqua uersantes appellat ἐμύδας. Marinæ testudines in mari Indico seu Taprobane insula ad tantam magnitudinem perueniunt, ut singularum testa habitabiles casæ tegantur in mari mediterraneo propè montem pessulum inuente sunt testudines pondere librarum centum, quarum teste in æde sacra suspense inueniuntur.

Thunnus ὁ θύννος, la Thonnine. Caro huius piscis ut cetaceorū omniū, du-

ra est

ra est, & multum excremēti habens, nisi sale condiatur, quæ tūc est nostra uulgaris Thunnina, optima quidē, si (ut scribit Aristoteles) ex annoso Thunno fiat. Dicitur autē Thunnus ἀπὸ τοῦ θύειν, id est ὁρμᾶν, id est moueri multo impetu. Nam hic piscis & Gladius agitantur oestro Canis exortu, habet enim uterque piscis per id tempus sub pinna tāquam uermiculum, quam asilum uocant, effigie scorpionis, magnitudine aranei: unde fit, ut eo permotus Thunnus in nauigia exiliat.

Tinca, Tanche, hunc piscem uulgi solatiū uocat Ausonius in Mosella, quòd pauperioribus tantum apponatur. excrementitius est & totus lutosus.

Torpedo, ἡ νάρκη, uulgò Gramphus ab effectu dicitur, quòd efficiat guttam grāpham, La goutte grampe. Nam leuem quendam torporem tangenti inducit. Dicitur etiam Torpin, Maßilienses Turpilian, Ligures Tremorizam uocant.

cant. Piscis hic ex genere cartilagineorũ est, carnémque mollem, iucundam (ut Galenus ait) & coctu haud difficilem habet. Athenæus tamẽ libro septimo Dipnosophistarum huius piscis caput tantum & huic propinquas partes cõfectu faciles esse scribit, Comeditur Venetijs & Ianuæ.

Tructa uel Trotta, Truitte.. Vide Amia & Salar.

V

VErtebra σπόνδυλος, uel σφόνδυλος Columellæ inter cõchas est. Constat autem duabus conchis, atque ex posteriori parte uertebris quibusdam continetur, Vnde nomen inuenit. Maßilienses uocant Hostia.

Vmbra, ἡ σκίαινα, uulgo Vmbrina, frequens est piscis in Ligeri. Dicta est Vmbra à colore. Dicitur & ab Epicharmo apud Athenæum σκιαθίς, Vmbre gallicè, in delicijs habetur.

Vnguis, Vide digitus.

Vrtica ἡ ἀκαλήφη, à Plinio numeratur inter ζωόφυτα, id eſt, quæ nec animalium nec fruticum, ſed ex utroque temperatam naturam habent. Totius carneus is piſcis eſt, nulláque teſta clauditur. Tactus eius, ut terrenæ urticæ dolorem immittit. Ligures & Maßilienſes adhuc Vrticam uocant.

NOMINA AVIVM

GRAECA, ET LAtina, cum Gallica eorum appellatione.

A



Canthis, uertitur à Gaza apud Ariſtotelem Spinus, & Ligurinus. Quidam putãt eam eſſe auem, quæ Chardonneretus dicitur. Dicitur autem Acãthis, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id eſt à ſpinis, in quibus paſcitur.

Accipiter, ὁ ἱέραξ, Sacer ales à Virgilio Græcè uocis uim exprimente dici-

tur, quo loco, Sacer pro Magno, meo quidam iudicio, accipiendum est: nam Accipiter aquilam magnitudine æquat. Quanquam nobis significare potest omnem autem prædatoriã, comme Faulcons, Sacres, Laniers, & autres. Accipitrum autem genera uir doctißimus Petrus Gillius diligentißimè ex multis autoribus collegit. Quare eius commentarios tibi adeundos censeo.

Acredula ὀλολυγὼν, auis canora à quibusdam uulgò dictus Rauatinus esse creditur, alijs, noster Tarinus, alijs Luscinia. Ex earum genere est, ex quibus futura tempestas prædici potest, ut scribit Aratus, ἢ τρίζει ὀρθεινὸν ἐρημαίη ὀλολυγών. Quem uersum sic interpretatur Cicero lib. 1. de Diuinatione, Et matutinis Acredula uocibus instat. Describitur hæc auis ab Arati interprete, tu eum adito.

Aegithus. ὁ αἴγιθος, auis est minima, dissidens cum asino: hic enim se spinis africans, nidos eius dißipat, quod adeo pauet, ut

uet, ut uoce omnino rudentis audita, oua deijciat. Vide Aristotelem libro. 9. de Hist. animal. & Plinium libro. 10. capitu. 75.

Alauda, ἡ κόρυς κόρυδος, & κορύδαλος, Alouette. Quæ habet cristam, περιφρασικῶς ἡ κόρυς τὸν λόφον ἔχουσα dicitur, quã Latini uno nomine Galeritam, Varro Galericum appellat, Gallicè Cochenis.

Anas ἡ νῆττα, vne Cane, ou Canard. Alexander Myndius apud Athenæum dicit marem maiorem esse, & magis uersicolorem, & id quod cæsium est in oculis, paulò minus habere, quàm fœminã. Caro huius auis dura est.

Anser, χὴν, vne Oye. Auis nota, cuius caro difficillimè concoquitur, allæ tamen ad coquendum faciles creduntur. Athenæus scribit Anserum præsertim σιτευτῶν, id est (ut uertit Plinius) fartiliũ hepata apud antiquos πολυτελῆ, & Romæ περισπούδαστα, id est magno studio pa-

rari

rari ſolita. De qua re lege Plinium lib. 10. cap. 12.

Apes, apedis, ἄπους, quibuſdam putatur eſſe auis, quam uulgò Martinet uocant. pedes exiguos ut his carere uideatur. ex quo nomẽ habet: hirundini uſque adeò ſimilis eſt, ut uix diſcerni poſſit.

Apiaſter, ὁ μέροψ, Auicula eſt apibus nocens, ut ſcribit Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtor. animal. Meſange uulgò dicitur. Hæc auis ſimulatq; uolare didicit, parentes (ut Aelianus ſcribit) alit, pietatéque omnibus auibus ob id præſtat.

Aquila, ἀετὸς, Aigle. Animal eſt uiolentum, neque modo in aſſequẽdis ad uictum neceſſarijs rapinas facit, ſed etiam uſu carnium delectatur. Nam ad ſe explendum lepores, hinnulos, anſeres ex cohorte, & alia pleraque rapit. Ex auibus maximè acres oculos habet, adeò ut ſi felle eius ex melle Attico illinantur hebetes cuiuſpiam oculi, acutiores fiant. De eius natura lege Aelianum libro 14.

De histo.animal. De aquilarum generi=
bus lege Plinium lib.10.cap.3.

Ardea, Ardeola, ἐρωδιός, Heron. Hăc
auem pullis uolandi imperitis ducem se
præstare ferunt.

Atagen, uel Attagena. ὁ ἀτταγὴν, uel
ἀτταγᾶς apud Aristophanē. Depingi=
tur ab Alexandro Myndio apud Athe=
næum lib. 9. Dipnosophist. Est (inquit)
perdice paulo maior, cuius dorsum uer=
sicoloribus maculis distinctū est, testæq;
figulinæ coloris speciem gerit, nisi quòd
magis rufum est. Graui est corpore, &
breuibus alis, ut à canibus facilè capia=
tur. Pulueratione gaudet, & sicut galli=
nacei, grano utitur. Caro huius auis ad
coquendum facilis est. Laurentius Valla
in Raudensem ab Italis uulgò Francoli=
num uocari scribit in cantalonia frequen
tißimus à cuius incolis Franconil uoca
tur nostræ perdicis grisæ colore nō mul
tū dißimilis. Aristophanis interpres ser=
uos, quibus frequentia stigmata faciem
defor

deformarent, à poëtis, dorsi huius auis similitudine, attagas dictos fuisse scribit.

B

Bubo, ὁ βύας, Hibou. Auis similis noctuæ, sed non minor aquila, ut Aristoteles refert.

Buteo, ὁ τριόρχης, Auis ex accipitrum genere, Buzart. Sic autem Græcè dicitur à testiculorum numero.

C

Caprimuglus, αἰγοθήλας, auis montana, paulo maior quàm merula, minor uerò quàm cuculus in caprarum stabula aduolans, earum ubera sugit, qua iniuria uber extinguitur, & capræ cæcitas oboritur. Grand merle qui tette les chieures.

Carduelis, uel Carduclus, ἡ θραυπίς, Chardonneret. Aristoteles lib. 8. de Histo. animal. refert ex his esse, quæ spinam appetũt, in quibus etiam Spinus siue Ligurinus est, quam Græci ἀκανθίδα uocãt, unde factum arbitror, ut omnes eas aues

Chardonnerettos Gallico ſermone appellemus, quæ ſpinas & carduos appetant, etſi inter ſe differunt.

Caßita, Alouette. Extat elegãs apologus de Caßita apud Gellium.lib.2.

Cenchris, κεγχρὶς, ex genere accipitrũ eſt, & à doctis quibuſdã putatur noſtra Quercerella.

Ciconia, ὁ πέλαργος, Gallicè Cygoigne parentes ætate exacta, magna cura alit, unde ἀντιπελαργεῖν, uerbum factum eſt, & πελαργικὸς νόμος, lex ab Ariſtophane dicitur, qua liberi parentes alere iubentur: πέλαργος autem dicitur διὰ τὸ ἔχειν πτερὰ μελάντερα, ἢ λευκά: πελὸν enim nigrum, & ἀργὸν album ſignificat.

Cinclus, ὁ κίγκλος, putatur à quibuſdam, quæ uulgò dicitur Battemare. Ex his auibus eſt, quæ ſemper caudam mouẽt, & ob id à quibuſdam σεισοπυγίδα uocari Sudas ſcribit: quod uerbum exprimere uolentes Latini quidam, Motacillam audacter uocauerunt. ab hiſpanis dicitur.

citur engana paſtor. *Auis eſt infirma, & quæ per ſe nidum conſtruere non poteſt, unde pauperes, ruſticorum prouerbio, Cincli uocantur.*

Circus, ὁ κίρκος, *tertia ſpecies accipitris, quam uulgò appellamus,* Quercerelle.

Columbus, *uel* Columba, περιστερὸς *uel* περιστερὰ, *nomen eſt quo ſpecies omnes* τῶν περιστερῶν *ab* Ariſtotele *libr. 5. de* Hiſto. *animal. deſcriptas complectimur: quanquam &* περιστερὰ *ſpecies eſt minor* Palumbo, *& maior* Vinagine, *de quibus ſuo loco dicetur.* Aelianus *ſcribit* Columbum *excluſis pullis terram ſalſuginoſam in nos indere, ut ea guſtata, deinde facillimè reliquis cibis ueſci queant. huius auis caro (ut ſcribit* Galenus*) ad coquendum facilis eſt.* Porrò *quòd uulgus putat hanc auem felle carere, id falſum eſt, nam inteſtino in ea aue fel iunctum eſt.*

Cornix, ἡ κορώνη, Corneille. *Hæc auis*

(ut refert Aristoteles lib. 5. De histo. animal.) castißima, & coniugalis amoris seruantißima, ad uitæ extremum uidua permanet, unde in nuptijs olim ueteres, post Hymeneum cornicem inuocabant, de qua in Emblematis Alciatus, hócque concordiæ symbolum his dabāt, qui liberorum gratia conuenissent.

Coturnix, ἡ ὄρτυξ, Caille. Phanodemus apud Athenæum dicit Delum ab Achæis idcirco Ortygiam nuncupatum, quòd eiusmodi uolucres ex mari proficiscuntur in eam insulam portuosam. Dicta est autem Coturnix (ut Festus ait) à uoce, à qua multis auibus nomina indita sunt.

Coruus, ὁ κόραξ, Corbeau. De huius auis intelligentia lege mira quædā apud Plinium, lib. 10. cap. 43.

Cuculus, ὁ κόκκυξ, Coquu. Sapiens est auis, cui (ut Aelianus ait) cum excludendi pullos facultas non sit, propter frigidem corporis temperationem, in Alaudæ

& Lu

& Luteolæ nido parit, quòd non ignoret ab his oua suis persimilia pari solere. Si autem earum auium nidos uacuos repererit, in alios diuertit, ubi oua sunt, hisque sua immiscet, quæ si plura fuerint, ex his quædam perdit, ac in eorum locum sua supponit, quæ nõ ab illarum ouis ob similitudinem internosci poßint, quæ postea ab Alauda uel Luteola excluduntur.

Curuca, ἡ ἐπιλάϊς uel ὑπολάϊς, auis est quæ Cuculi oua fouet & excludit, à quibusdam in Gallia dicitur Verdon.

Cypsellus, ὁ κύψελλος, auis est hirundini similis, eadem cum Apode: quam auem uulgò Martinetum appellari diximus.

F

Ficedula, ἡ συκαλὶς, auis cui nomẽ à ficu, quod ea ut Varro ait, pinguis fiat, uel quòd ficuum tempore (ut Alexander Myndius apud Athenæum refert) capiatur. appellatur uulgò Becquefigue. De huius auis natura lega plura apud Ari-

 stotelem

ſtotelem lib. 9. de Hiſto. animal. quo loco ea aliquādo μελαγκόρυφον, id eſt atricapillam fieri ait.

Frigilla, ἡ σπίζα, hæc auis apud Latinos (ut Feſtus ait) ex eo dicta eſt, quòd frigore cantet, & uigeat: uulgò dicitur Berće.

Fulica, uel Fulix, ὁ κέπφος, uulgò Fouque. A` quibuſdam etiam dicitur Diabolus, quòd furua ſit. uiuit in mari uel ſtagnis frequentiſsima ad ripas maris mediterranei prope Montempeſſulū, ex qua uenti prognoſticon Aratus ſumit. Cuius interpres multa de hac aue ſcribit.

G

GAlerita, uide Alauda.

Gallina, ἀλεκτορὶς, vne Poulle, ou Gelline. Thomas Magiſter annotat uocem ἀλεκτρυὼν ſignificare marem & fœminam ἀλεκτορὶς autem eſſe uocem plane poëticam, ἀλέκτωρ uerò uocabulum eſſe ἀδόκιμον, uerum is fallitur: nam Ariſtoteles lib. 6. de Hiſtoria

anima

animalium, uoce ἀλεκτορὶς, & Aristophanes in Nubibus uocabulo ἀλέκτωρ utitur.

Gallinago, ὁ σκολόπαξ, uel σκαλώπαξ, Bequasse. Attageni (ut Aristoteles ait) similibus pennis est, magnitudine Gallinulæ, rostro longo, cursu celeri. Nemesianus Poëta eam uersibus pulcherrimè depingit.

Cū nemus omne suo viridi spoliatur honore:
Fultus equi niueis syluas pete protinus altas
Exuuijs, præda est facilis et amœna Scolopax,
Corpore non Paphijs auibus maiore videbis.
Illa sub aggeribus primis, qui proluit humor
Pascitur, exiguos sectans obsonia vermes.
At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi
Sint nimiū grādes, sed acutis naribus instat,
Impresso in terram rostri mucrone sequaces
Vermiculos trahit, & vili dat præmia linguæ.

Gallus, ἀλεκτρύων, ἀλέκτωρ, tanquā ἀπολέκτωρ, id est à lecto reuocans, vn Cocq. Græculus, ὁ κορακίας primùm ge

nus monedularum, vn Gay.

Grus, ὁ γέρανος, vne Grue. *Cicero scribit Grues cum loca calidiora petētes maria transmittunt, trianguli formam efficere.*

H

Hirundo, χελιδών, Harondelle, *auis est nota, Veris nuntia: cui à natura summum donum tributum est, ut si acucarũ oculi puncti fuerint, atque excæcentur, uisum recipiant.*

L

Luscinia, ἀηδών *ab* ἀεὶ & ᾄδω, *quasi perpetuo canens ubi semel inceperit*, Rossignol, *Multa de huius auis natura lege apud Arictotelem libro* 4. & 9. de Hist. *animal.* & Plinium *lib.* 16. *cap.* 29.

Lutea, ἡ χλωρὶς, *Videtur esse fœmina Vireonis*, La femelle du Lorion. *Sic autem dicta est, quòd inferiorem partem pallidam habeat.*

Melea

M

MEleagris, Gelline d'Aphrique. parit oua rubro interpuncta ut Phasiana. Descriptionem huius auis habes apud Aelianum.

Mergus, ἡ αἴθυια, auis ex qua tempestatem prænoscimus: de qua lege Aratum & Virgilium, vn Plonget. Mergus autem ideo dicitur (ut scribit Varro) quod cibum captans se subinde in aquam immergat.

Merops, lege Apiaster.

Merula, ὁ κίττυφος, Merle, huius auis caro durior, quàm Perdicis aut Attagenis.

Miluus, ἰκτῖνος, Milan, auis est nota, quam Aelianus usqueadcò rapacem esse scribit, ut carnes è macello auferat, tamē ex Olympiæ aris eas nunquam attingit.

Monedula, ὁ κολοιός, Chouette, furatur aurum, unde illud est Ciceronis in Oratione pro Flacco, Non plus aurum tibi, quàm monedulæ cōmittebant. Gram

matici

matici deducunt κλὸρ à uerbo κλῶ, quod clamo ſignificat, & pleonaſmo τοῦ οι fit κολοιός. Nam clamoſa auis eſt.

N

Niſus, quibuſdã uidetur eſſe noſtre Eſpreuier. De mutatione Niſi in hanc auem lege Seruium grammat. in 1. Georg.

Noctua, ἡ γλαύξ, Hibou, Chathuãt, à Latinis ſic dicta eſt, quòd noctu uolet & cantet.

O

OLor, κύκνος, Cygne. huic aui tanta eſt extremo uitæ ſpiritu trã quillitas, ut ſibi tanquam næniam cantet, quanquam Alexander Myndius apud Athenæum dicit ſe moriẽtes Cygnos aſſe ctatum fuiſſe, eorum tamen cantum non audiuiſſe.

Onocrotalus, Butor, ſimilitudinem Oloris habet, & quum colum in aquam mergit, uelut aſini ruditũ edit, unde Ono crotalus dicitur, quaſi aſini clamor.

Ortygometra, ὀρτυγομήτρα, Le Roy & mere des Cailles. *Auis est (ut Alexan-
der Mindius apud Athenæũ refert) Tur-
turis magnitudine, longis cruribus colo-
re inter croceum & uiridem medio.*

P

PAlumbus, Palumba, uel Palumbes
palũbis, φάττα, Ramier, ex colum-
borum genere, maior quàm Vinago. Co
lumborum autẽ species apud Aristote-
lem li. 8 sunt quinq; φὰψ φάττα περιστερὰ,
οἰνὰς τρυγὼν, (nam lib. 5. φάβα omittit) id
est Palũbes, colũbus, Vinago, turtur ut
Gaza interpretatur, qui duas primas uo
ces Græcas, una dictione, Latini sermo-
nis paupertate exprimere coactus est.
Aquitani uerò, ut distinctæ aues sunt, ita
diuersis nominibus eas appellant. φὰψ
enim ab eis sermonis Græcè uestigia ad-
huc retinentibus Phauier dicitur. Pas-
ser, ὁ στρουθὸς. Vng moineau ad parie-
tum foramina nidos facit. Huic aui pro-
pter salacitatem breuißimam uitam esse
ferunt.

ferunt. Est & alius Passer alaudæ magnitudine, de quo Actuarius medicus lib. 2. Regalium sermonum, ἔστι δὲ ὁ μὲν στρουθὸς ὁ μέγας ἐπίγειός τις, καὶ μήτε ἐν δένδροις, μήτε οἰκηματίοις οἰκῶν, καθιζάνει δὲ ἐν θάλλοις ἄκροις τῶν θαμνῶν φωνῇ μάλα σφόδρα κελαρίζων, τὸ δὲ χρῶμα καὶ μέγεθος ὅμοιον τῇ κορυδαλῷ· καὶ τὸν χειμῶνα οὐχ ὁρᾶται). id est, Est autem Passer magnus terrestris aliquis non in arboribus, neq; in domibus habitat, uerum in summis uirgultis desidet, uoce admodum garrula, colore & magnitudine alaudæ similis est, & hieme non apparet. Porrò τῶν στρουθίων nomine auiculas omnes in dumis uersantes Galenus fere intelligit.

Pauo, uel Pauus, ὁ ταώς, Auis nota.

Paua fœmina Pauonis ab Ausonio dicitur, tamen Columella semper Pauonem fœminam dicit. ταὼς autem (ut Athenæus ait) dicitur ἀπὸ τοῦ τῶν πτερῶν τάσεως. id est ab expandēdis pennis. Galenus scribit huius auis carnem, quàm phasiano

ſianorum & attagenum duriorē fibroſioremq́;, & ad coquendum difficiliorem eſſe. Pauone ſic delectabatur Alexander ut eius interfectori magnam mulctam irrogarit.

Perdix, ὁ πέρδιξ, Perdix. Athenæus ſcribit lib. 9. πέρδικας & κακκάβας dici, unde factum eſt κακκαβίζειν, & uerbum caccabo, quod autor carminis Philomelæ apud Ouidium Perdici tribuit. Huius auis caro à Galeno inter ea, quæ ad coquendum facilima ſunt refertur.

Phalacrocorax, id eſt coruus aquaticus, Vn Cormorant, Plinius libro 10. cap. 48.

Phaſianus, ὁ φασιανὸς, Phaiſant. Hæc auis traducta eſt ad nos à Phaſi fluuio. Martialis.

Argiua primū ſum trāſportata carina.
Antè mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Huius auis caro quòd ad concoctionē & nutrimentum attinet, Gallinarū carni ſimilis eſt, uoluptatē tamen in edendo

ſuperat

superat.

Pica, ἡ κίττα, vne Pie. Auis nota, quæ humana profert, de qua Martialis.

Pica loquax certa dominũ te uoce saluto.
Si me non uideas esse negabis autem.

Picus martius, δρυοκολάπτης ab Aristotele, id est quercus percussor dicitur, vn Piuert, vn Pic. Nomen habet apud Latinos à Pico Saturni filio, lege Pliniũ lib. 10. cap. 18.

Psittacus, ὁ ψιττάκης, vn Perroquet. Auis est in India frequens, ubi tamen eã comedere religio est, Sacra enim putatur, quod humanam uerborum appellationẽ explanata oris expreßione imitando consequatur. Aelianus & Plinus lib. 10. cap. 42. & Cato de re Rusti. lib. 3. cap. 9. & 13.

Q

Querquedula, vne Cercelle. Refertur à Varrone lib. 3. de re Rusti. inter eas aues, quæ non contentæ solum terra sunt, sed aquam requirunt, ut anseres,

anſeres, & anates.

S

STrutiocamelus apud Plinium lib.10. cap.5. Autruche, Galenus tamen affirmat στρουθιοκάμηλον non eſſe uocē ueteribus conſuetam, qui eam auem μεγάλην στρουθὸν ſemper uocauerunt. Strutio camelum autem dictum opinior, quòd multa camelo ſimilia habeat, excelſum caput & paruum, longum collum, tibias proceriſsimas, & frequentibus ſquammulis compactas. Caro eius excrementitia eſt, & ad conquendum difficilis.

Sturnus, ὁ ψάρος, Eſtourneau. Auis gregatim uolans uulgò nota.

T

TArda, ὠτὶς uel οὐτὶς, Houtarde: Latini nomen huic aui à tardo uolatu indiderunt. Nā (ut Xenophon apud Athenæū ait) uolatu adeo breui utitur, ut ſi quis inſtet, eā capere poſsit. Græci autem à plumij circum aures demiſsis ita ut auriculas referant, uocauerūt. Athenæus

hanc auem μιμητικὴν, id eſt eorum, quæ homo agit, imitatricem, atq; hoc modo à uenatoribus capit, ſcribit. hi enim pharmaco aliquo κολλητικῷ, oculos mũgũt, quo cilia ſibi glutinent: quod dum imitari ſtudet hæc auis, ceca fit faciléq; capitur. Caro eius inter grues & anſeres media eſt.

Trochilus, Regulus, πρέσβυς, quaſi auium præſes ab Ariſtotele dicitur, uulgò Regaliolus, vn roytelet.

Turdus, ἡ κίχλη, Vne griue, ab omnibus fere dicitur. Huic aui quanquam Martialis. Primas inter aues tribuit, tamẽ eius caro quàm Perdicis, Attagenis & Colũbæ (ſi Galeno credimus) durior eſt.

Turtur, ἡ τρυγὼν, Turterelle, ex genere columbarum. Nomen apud Græcos & Latinos à ſono ei aui inditum eſt.

V

VEſpertilio, ἡ νυκτερὶς, Chauueſoris, mediæ cuiuſdã ſpeciei inter auẽ & murem eſt, ut Mus alatus dici poßit. Ex uolucribus ſolus Veſpertilio (ut Plinius

nius ait) parit. dicitur autem Vespertilio, quòd uespere se ad uolandum proferat.

Vinago, ἡ οἰνὰς, auis est ex genere columbarum, de qua iam dictũ est, Grand colomb biset. Vinaginem autem uel οἰνάδα dictum arbitror, quòd uindemiæ tempore appareat.

Vireo, χλωρίων, Lorion Gallico nomine dicitur, uide Lutea.

Vlula, ὁ αἰγωλιὸς, noctu pascitur, die rarò apparet, Cheuesche, alij Hibou. Seruius Grammaticus, ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id est ab ululando dictam putat.

Vpupa, ὁ ἔποψ, Auis cristis è capite exeuntibus galeata, Huppe. In quibusdam locis Galliæ dicitur Putput à fœtore. Nam nidum suum hominis stercore, luti loco illinit, ne homines ad pullos suos accedant.

Vultur, ὁ γύψ, Vaultour. Auis est carniuora in hominũ enim cadauera infestißima fertur ac hominẽ ad moriendũ uicinum, quãdo supremum uitæ diẽ agat,

 diligen

diligenter obſeruat. Expeditos etiam in bellum exercitus præſenſione quadam conſequitur, planè ſciens & quòd ad bellum proficiſcuntur, & quòd omnis pugna ſtrages edere ſolet, Locum futuro bello ſeptem antè dies quàm pugna committatur, præuidet, in eam quæ partem, in qua alterutra pars ſuccumbet, reſpectat. Quamobrem reges olim ſpeculatores ſolebant præmittere, qui renunciarent ad quàm nam partē uultures oculos referrent.

INDEX VVLGARIVM NOMInum arborum, fruticum, & herbabarum, quæ hoc uolumine cōtinētur. Appellatiōes uerò proprias ordine Alphabeti positas reperies.

A

Auellay

Carduus

Clou

D

Fica

de la

H

Hebene

Lilium

&

l 2 Ozeille

Raue

S

Serpen

INDEX VVLGArium nominum Piſcium.

Carago

La

V

INDEX NOMINVM
Vulgarium auium.

A

B


C


Corneille

Vne

FINIS.

A LYON
PAR IEAN PIDIE.




1,25
1,25